COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXIV. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. Zweyter Band. Mit 12 *Kupfertafeln. Berlin, bey Ioachim Pauli,* 1776. 1 *Alph.* 15 *Bog. in* 8. *Dritter Band.* 1777. *Mit* 11 *Kupfertafeln,* 1 *Alph.* 14 *Bog. Vierter Band,* 1779. *Mit* 21 *Kupf.* 1 *Alph.* 18 *Bog.*

i. e.

Acta Societatis Berolinenſis naturam ſcrutantium amicorum. Vol. II. III. IV.

Celeri progreſſu Acta huius Societatis cum edita ſint, atque etiam nunc praematura Cl. MARTINI, in cuius locum Cl. OTTO ſucceſſit, morte ſubſequantur, ac praeterea inſigni varietate rerum ſeſe commendent, vt eos, quorum intereſt ſingula noſcere, ipſum librum legere oporteat, nos breviſſime tantum ſumma rerum capita indicabimus. Volumen ſecundum et tertium b. MARTINI adhucdum, quarti autem editionem Cl. OTTO curauit. Ad membra ordinaria acceſſerunt, praeter ſupra dictos, Cl. IO. ES. SILBERSCHLAG, et I. C. A. BRAND; atque numerus membrorum honorariorum exterorum eſt 184. Iam ad ipſos voluminis ſecundi commentarios accedimus.

I. *Adnotationes ad experimenta ex quibus collegit, pondus corporum augeri, quo magis a centro telluris remota ſint,* Cl. BERTIER, Auctore FRANCISCO Vol. II. p. 1.

CAROLO ACHARD. Cognita eſt lis orta inter NEWTONI adſeclas, qui, quo magis a centro telluris remoueantur, eo leuiora fieri corpora, recte contendunt, et Cl. BERTIER, qui contrarium ſe expertum habere affirmauit. Repetito a Cl. ACHARD experimento BERTIERII, is diuerſis temporibus varia effecta ſequi vidit, atque denique intellexit, cauſſam varii effecti pendere a diuerſitate tempeſtatis vel ſiccae, vel humidae. Adhibito enim, fili lintei loco, quod facillime humorem in aëre contentum attrahit, filo metallico, idem fere ſemper ſequi, et BERTIERII ſententiam falſam eſſe expertus eſt.

p. 12. 2. EIVSDEM *de phaenomenis electricis, quae frictione mercurii ſupra reſinoſa corpora producuntur.* Negauit Cl. DE LVC *) lumen, quod interdum barometra ſpargunt, pendere ab electricitate, quum, mercurium ſupra globum vitreum fricando, idem ſequi non videret. Noſter igitur corpora reſinoſa, quae leuiori frictione facile electrica fiunt, adhibuit, mercuriumque vario modo iis adfricuit, atque tum omnino effecta electrica oriri expertus eſt.

p. 20. 3. O. F. MÜLLERI *de Vorticella polymorpha* **). Quasdam motus et ſitus varietates huius mirandi animalculi verbis et iconibus illuſtrat. Sacci impleti inſtar diu haeret, altera extremitate ampliore: album eſt et ciliatum pilis, quos pro arbitrio circumrotat: interdum os duplex ſ. diuiſum apparet, interdum globi, mox cyathi formam, vel infundibuli aſſumit: deinde quietum, in figura parallelogrammi iacet; ac ſubito in membranam tenuiſſimam

*) Recherches ſur les modifications de l'Atmoſphére. Tom. I. p. 54.

**) Hiſtor. verm. Vol. I. Part. I. p. 98.

mam mutatum decedit. Alia etiam animalcula, ipſo minora, deglutit.

4. Cl. BLOCH *deſcriptio Lacertae ſerpentis.* p. 28. Eſt eadem cum *Angue quadrupede* LINN. quam, cum veris pedibus 4, et meatu auditorio externo, quo Angues carent, inſtruatur, recte ad Lacertas reduxit Cl. Auctor, addiditque bonam eius iconem.

5. *Foſſilia, plantas et animalia, quae ad lintea dealbanda adhiberi poſſunt*, recenſet CHRIST. FRIDER. REUSS. p. 35.

6. IO. BECKMANN docet rationem, *inſectorum collectiones commodius inſtituendi.* Ciſtae nempe, quibus inſecta acu perforata induntur, ſunt illinendae mixtura ex reſinae communis partibus 10, cerae flauae part. 6. et terebinthinae part. 1. p. 69.

7. CAROLI IOSEPHI OEHME *de irritabilitate in regno vegetabili.* In *Mimoſae*, quam *ſenſitiuam* dicit, quae autem rectius *pudica* LINN. diceretur, articulis ramorum glandulam eſſe, cuius ſtructuram animali magis, quam vegetabili ſimilem eſſe dicit, at non demonſtrat. Cauſſam contractionis huius et aliarum ſeſe, ſi attingantur, contrahentium plantarum, vt et ſic dicti ſomni plantarum in irritabilitate fibrae vegetabilis ponit: atque quotidianam foliorum circa veſperam contractionem non tam a defectu luminis, quam a mutata aëris temperie pendere ait. p. 79.

8. Cl. BLOCH *additamenta ad Copali hiſtoriam naturalem.* Demonſtrare hic annititur Cl. Auctor omnem Copalum eſſe vegetabilis originis, itaque praemiſſa generaliori eiusdem hiſtoria, chemicam p. 91.

disquiſitionem proponit, vbi eum omnino ſpiritu vini ſolui, non vero oleo terebinthinae, eiusque oleum et phlegma a phlegmate et oleo ſuccini differre expertus eſt. Denique magnum numerum Inſectorum, aliorumque corporum in Copalo incluſorum recenſet, atque iconibus, vt nobis videtur, ſuperfluis illuſtrat.

p. 197. 9. I. H. CHEMNITZ *deſcriptio itineris verſus Faxoe et Stevens Klint.* Plura petrefacta ibi inuenit conchyliorum, quae ex orientalibus regionibus huc delata eſſe vniuerſali diluuio putat.

p. 225. IO. IO. ELERT BODE *de ſolis natura et origi-*
p. 233. *ne macularum in eodem.* Solem putat eſſe obſcurum planetam, eiusdem cum tellure naturae, in quo terra et aqua, montes et valles ſint, qui etiam atmoſphaera circumdatus ſit. Illic materiam luminis eſſe collectam, quae ſolem, vti aër noſtram tellurem, circumdet, qua in re EVLERI hypotheſi
p. 237. adſentitur. Maculae ſolares oriuntur, ſi materia luminis hic vel illic retrahatur, atque ſic, factis aperturis, partes obſcuri corporis ſolaris appareant. His aſſumtis omnia macularum phaenomena facile declarari ait.

p. 253. II. IO. AVG. EPHR. GOEZE *de inſectis, quae in aliis animalibus et in ipſis inſectis habitant.* In omnibus auibus indigenis vnam eandemque tan-
p. 257. tum pediculi ſpeciem inuenit. In Veſpertilione Pulicem inuenit, quem ab eo, qui homines irritando vexat, ſpecie differre putat, ideoque dixit P. *irritantem, pallido fuſcum, minorem.* In eiusdem Veſpertilionis labiis *Acarum fuſco rufum, corpore lentiformi ſquamulato, pedibus breuiſſimis, magnitudine milii,* vt et aliam *Acari* ſpeciem, quam et in Aphidibus, Muſcis,

Muſcis, Gryllis et Cicadis vidiſſe ſe ait, et denique *Acarum Veſpertilionis* LINNEO dictum. Plura de pedum ſtructura inceſſu et generandi modo huius inſecti, diligenter expoſita ſunt. In ipſis etiam *Acaris Gymnopterorum* LINN. alios multo minores ſpecieque diuerſos infixos eſſe atque ex iis nutriri demonſtrat. In alis *Muſcae feneſtralis* minutiſſimum inſectum, quod *Pediculum* dicit, *corpore oblongo glabro, pallido, pellucido, pedibus anterioribus longioribus, duabus ſpinulis lateralibus inſtructis;* praeterea *Acarum Muſcarum* LINN. *Pediculum Libellae* et *Cicadae* nouos, vt et *Cyclidium pediculum* MÜLLERI *) deſcribit, omniaque dicta inſecta iconibus illuſtrat.

12. IDEM *Vorticellam rotatoriam* hieme in conclaui calido in infuſione foeni facile oriri narrat. p. 287.

13. O. F. MÜLLER *deſcriptio duarum Meduſarum*, quarum icones et definitiones ſpecificas has tradit. 1) *M. Carauella* oualis, ſubtus medio tentaculis longiſſimis, ſupra velo crenulato: hanc SLOANE Voyage Vol. I. p. 7. t. 4. 5. et BROWNE civil and natural hiſtory. iam habent. 2) *M. vmbella* orbicularis, tentaculis diſci nudis, marginis glandulosis. Eſt eadem cum *Holothuria* FORSKÄLII deſcript. animall. p. 103. Vtraque in Mari Atlantico habitat, et a Cl. KOENIG Noſtro communicata eſt. p. 290.

14. Cl. KLEIN, *Preßburgenſis*, experimenta circa *Robiniam Caraganam*, *Linum perenne* et *Polygonum Tartaricum*. p. 299.

15. F. A. M. *de iis, quae ad ſerendas, et plantandas arbores in ſiluis fieri debeant, vt res feliciter ſuccedat.* p. 307.

*) vid. EIVSD. hiſt. verm. P. I. p. 54.

p. 326. 16. F. W. H. DE TREBRA *de minerarum quarundam fruſtis in Marienbergenſis regionis fodinis reperiundis.* In vno minera argenti rubra cum cryſtallis ſandarachae coniuncta, originem illius ex argento et arſenico ſulphure penetratis demonſtrat. Quae de lapide *Gneuß* diſſerit, ea aſſenſum noſtrum non merentur.

p. 340. 17. *Deſcriptio et icones oſſium, quondam circa Quedlinburgum effoſſorum*, Auctore Cl. ZÜCKERT. Calcinata tantum haec oſſa ſunt, et cum iis, quae Cl. PALLAS in Sibiria inuenit *), conueniunt, vt igitur eadem Rhinocerotis oſſa recte iudicentur.

p. 347. 18. *Miſcellanea conchyliologica*, Auctore FR. HENR. GVIL. MARTINI. Primo monſtroſas formas *Serpulae Penis* LINN. deinde nouam *Serpulam, Infundibulum* dictam, *Trochum* nouum conchilegum, *Patellam Vnguem*, *Pholadem* nouam atque *Mytilum lithophagum* deſcribit.

p. 376. 19. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de correctione pratorum naturalium plantis varii generis.*

p. 420. 20. IO. H. F. MEINEKE *tentamen nouae Papilionum partitionis.* In hac metamorphoſis potiſſimum rationem habet. Sed prius haec perfecta eſſe non poteſt, quam metamorphoſis ipſa omnium ſpecierum ſatis detecta ſit. Confundit etiam Auctor generis cum claſſis nomine. Interim aliquando hac methodo naturale Papilionum ſyſtema oriri poteſt.

p. 446. 21. LAVR. SPENGLERI obſeruationes circa *Monoculum Polyphemum* LINN. Recte monet hoc inſectum

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 362. et 683. ſeqq.

inſectum minus recte *Monoculis* ſubiungi, quum illius oculi, quos nemo antea rite deſcripſerit, procul a ſe inuicem diſtent. Poſita ſunt iidem in dorſo cruſtae anterioris media in coſta eleuata, ſuntque, vti *Oniſci Entomi*, ex multis corneis compoſiti. Pedum etiam anteriorum quinque paria chelis inſtructa ſunt, ſextum autem par, praeter paruam chelam, lamellis linguiformibus cingitur.

22. EIVSDEM *deſcriptio et icon Oſtreae nodoſae* LINN. p. 451.

23. EIVSD. *deſcriptio et icon Argonautae noui*, ſpiris viſibilibus. p. 458.

24. I. C. F. MEYERI *diſquiſitio Zeolitae radiati.* Acidis eum ſoluit, et quidem vidit, acido ſalis et nitri eum plane ſolui. Calcinatum Zeoliten ad experimenta adhibuit. Per experimenta cum acido nitri ex Zeolite radiato terrae ſiliceae drachmas 2, et grana 20, calcareae grana 54, et aluminaris drachmas 2, et ſcrupulum 1 obtinuit. Atque igitur Zeoliten radiatum ad lapides *aluminares* referendum, cryſtalliſatum vero ab eodem mixtione differre coniicit, quod tamen Ipſe Auctor in Volumine IV. horum Actorum refutat. p. 462.

25. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de detecto Cobalto in Sileſia relatio.* A Cl. REICHARTO et GERHARDO 1769. in montibus ſummis circa vicum *Schreibershau* dictum et in fodina a Maria Anna dicta prope *a monte nudo Querbachi* (*am Kahlenberge zu Querbach*) detectum eſt Cobaltum. p. 482.

26. I. A. E. GOEZE *hiſtoriam animalculi aquatici*, tomo I. horum actorum p. 359. *deſcripti*

complet. Nimis multis verbis nempe docet esse idem laruam *Tipulae littoralis* LINN.

p. 510. 27. IO. GOTTL. GLEDITSCH *obseruatio de Sii* nodiflori LINN. *vsu, in pabulo recenti pecudum.*

p. 532. 28. *Breuiores relationes e litteris.* Cll. PALLAS et BERGIVS quaedam commemorant, *Acipenseris*
p. 536. *Ruthenici* historiam naturalem attinentia. Cl. KÖ-NIG *de Islandiae* historia naturali praesertim de
p. 542. monte Hecla quaedam narrat. Cl. I. C. F. MEYER ferrum natiuum Sibiricum in igne disquisiuit, atque inde illud vere natiuum esse confirmat: quod contra Cl. CAROL. CHRIST. BRVMBEY, vt nobis videtur, iniuste negat. Cl. PALLAS monet *Mergum*, a Cl. BECKMAN in tomo I. horum actorum p. 170. descriptum non esse *Serratorem*, sed *Merganserem*
p. 559. LINN. Cl. CHEMNIZ testimonia suam de margaritarum origine theoriam confirmantia refert. Cl. SPENGLER noua quaedam conchylia describit.
p. 571. Nouum Sal neutrum, circa vicum *Kanal* in Italia repertum describitur, quod sapore amaricante styptico nonnihil, non tamen iniucundo instruitur. Praeterimus alia.

p. 584. 29. *Breuior vitae*, a PHILIPPO LVDOVICO STATIO MÜLLERO gestae, descriptio.

Vol. III. Volumen tertium haec habet:

p. 3. I. CHR. FRID. REVSS ostendit, *scientiam naturalem esse fundamentum bene dispositae oeconomiae, atque vtriusque nexum.*

p. 29. 2. D. AVG. CHRIST. KÜHN *entomologicas* obseruationes profert, eaeque *Phalaenam Aesculi, Phal.*

Geom.

Geom. chaerophyllatam, *Tineas* nouas, quas *ſcalacellam* et *marmoream* dicit, *Alucitam* nouam *tridactylae* LINN. affinem, cui *aurantiae* nomen dat, *Pyralidem ſulphuralem*, et *Tortricem hamanam* attinent, omniumque icones bonae adduntur.

3. CAROLI DE MEIDINGER *methodus linum ita praeparandi, vt loco goſſypii adhiberi poſſit.* p. 44.

4. BALTHAS. HACQVET *praecipuas ſpecies et varietates minerarum hydrargyri Idrienſium* deſcribit, eo ordine quidem, quo ſeſe in rerum natura ſubſequuntur. Nos tamen cum partim in SCOPOLI libello, tum in *Oryctographia Carniolica* expoſitae ſint, eas hic recenſere ſuperfluum putauimus. p. 56.

5. Cl. GÜLDENSTÄDT *deſcriptio Soricis moſchati*, (*Caſtoris moſchati* LINN. *Deſman* BUFF.) icone illuſtrata. Eſt animal carniuorum. *Faſciolam inteſtinalem* LIN. ſub cute eiusdem habitare ait; nos tamen vehementer dubitamus, fuiſſe vermem illic inventum veram Faſciolam: longitudinem horum vermium ipſe Auctor ait fuiſſe trium pedum. A *Siluro* pergit vorari ipſum Soricem. Succedit accurata partium deſcriptio et externarum, et internarum. p. 107. p. 115.

6. CAR. IOS. OEHME *de irritabilitate plantarum.* Microſcopicae obſeruationes. In eodem, quem ſupra monuimus, errore pergit, et plantam *Mimoſam ſenſitiuam* dicit, cum tamen *M. pudica*, communis illa in hortis curioſorum planta fuerit, in qua obſeruationes inſtituit. p. 138.

7. Perill. Equitis DE MEIDINGER *de luce, quam in tenebris quaedam ligni putreſcentis ſpecies ſpargunt.* p. 149.

gunt. A minutiſſimis animalculis, quae quidem, optimis etiam microſcopiis adhibitis, videre non potuit, eandem produci opinatur.

p. 157. 8. CHR. FR. REVSS recte adhortatur Germanos, *vt plantas oleiferas* diligentius colant, docetque, qua ratione ex iis oleum, oliuarum oleo optimo (*Provençer Oel*) ſimile, parari poſſit.

p. 173. 9. I. I. D. ANNONE *deſcriptio quarzi, vario ſitu varios colores offerentis ex terra Labrador.* Parvula fuerunt tantum fruſtula, neque igitur deſcriptio perfecta eſſe potuit. Docuit vero alibi *) Cl. LESKE hunc lapidem eſſe *Spati ſcintillantis* varietatem.

p. 184. IO. BERNH. WARTMANN, *deſcriptio et hiſtoria piſcis ad Salmones referendi, et cum Salmone Lauareto* LIN. confuſi, a quo colore coeruleo, et maxilla ſuperiore cum inferiore aequali praecipue, tum et habitu differt. Germanice dicitur, *der Blaufelch.*

p. 214. 11. IO. IAC. REICHARD deſcribit *duas Pezizas:* alteram dicit *Pezizam radicatam*, fuſcam, hemiſphaericam, glabram; radice ſimplici, fibrillis paſſim donata, a nemine antea deſcriptam; alteram *Pezizam luteam*, cuius iam SCOPOLI *Flor. Carn.* ed. II. Tom. II. p. 481. nomine *Eluelae luteae* meminit.

p. 219. 12. I. C. F. MEYER quaedam addit experimenta, quibus diuerſitas terrae ſiliceae et aluminaris comprobantur. Obtinuit quidem alumen Cl. Auctor, ſed id cum SCHEELIO ex ſolutis partibus crucibuli deriuat.

13. P.

*) *Naturforſcher* 12 *Stück.*

13. P. S. PALLAS *de equo, quoad partes genitales monſtroſo.* Hermaphroditus dicebatur, ſed Cl. Auctor hoc refellit, atque ad generationem ineptum et haud dubie marem imperfectum fuiſſe demonſtrat: mortuo eodem, Cl. WOLFIVS in diſſectione veſtigia teſticulorum et veſicularum ſeminalium inuenit. p. 226.

14. IO. ERN. WICHMANN *de cingulo Lumbrici.* Diſſenſum Helminthologorum ita feliciter componit, vt in hoc cingulo partes genitales eſſe demonſtret, et lumbricos, eo carentes, iuniores, necdum puberes exiſtimet. p. 232.

15. Cl. HACQUET *deſcriptio et icon Byſſi* et *Conferuae*, quas vt et Mucores in vniuerſum ex plantarum regno eſſe excludendas opinatur. Nam ligno putrido aquae in ſpatio aëre vacuo immiſſo easdem germinare vidit. Ideoque has plantas *naturalia mortua vegetabilia;* chemica arte productas arbores vero artefacta mortua vegetabilia nominat, atque ſic a *viuis organiſatis* plantis diſcernit. p. 241.

16. IO. SAM. SCHRÖTERI tractatus *de Aſteriis petrefactis Coburgenſibus.* Easdem nucleos tantum, et in lapidem arenarium mutatas, eidemque innatas eſſe, atque ad vnum genus pertinere demonſtrat. Tres tamen ſpecies obſeruauit. 1. *Aſteria lumbricalis, corpore pentagono, lateribus lunatis.* Vid. LINK *de ſtell. marin.* tab. XXII. 35. 2. *Aſteria lumbricalis lacertoſa*, corpore ſphaerico. LINK. l. c. t. II. f. 4. WALCH *Naturgeſch. Th. II. Abſchn. II. S.* 295. *N.* 6. BOURGU. *tr. petrif.* t. LIX. f. 438. 3. *A. coriacea.* p. 253.

17. FR.

p. 273. 17. FRID. HENR. GVIL. MARTINI *de Bivalvibus cardine crenato in vniuersum agit*, et *quasdam nouas huc pertinentes species describit.* Plurima, quae huc refert, ad *Arcas* LINN. quaedam ad *Ostreas* pertinent. In tria genera eadem partitur. I. *Pilosa*, quorsum *Arca pallens, vndata, Glycimeris; pilosa* et *Pectunculus* LINN. pertinent. II. *Arcae verae*, vt *Arca Noae, barbata, antiquata, senilis, granosa*, et *lactea.* His nouas 1) valuis *antiquatis*, 2) *A. concameratam, A. tortuosam* LINN. et *Arcam Pernulam*, quam tamen hic ex errore et *Myam corrugatam*
p. 299. dicit. III. *Alata*, huc *Ostrea Isogonum* LIN. et noua, quae Cl. Auctori *Arca mytuloides spuria*, cardine laterali plicato serrato, superficie violacea, vndis cinereis virgata dicitur, pertinent.

p. 314. 18. MART. THR. BRÜNNICHE descriptio *Tellinae*, quam dicit *inaequivaluem*, testa oblongo-rostrata, valuula altera plana.

p. 315. 19. *Vberior eiusdem Tellinae descriptio*, Auctore LAVR. SPENGLERO.

p. 321. 20. et 21. Cl. I. H. CHEMNIZ *Conum, Gloria Maris* dictum, testa candida elongata, subcylindrica, venis reticulatis fasciisque longitudinalibus vermi-
p. 332. culata, columella laeui: et *Buccinum achatinum*, nebulatum, vmbilico profundissimo insigniter dentato describit.

p. 344. 22. OTH. FRID. MÜLLER *de Fungo, in Lauri fisso trunco exorto.* Noua est *Clauaria*, quam dicit *flauam, basin versus tenuiorem.* Non solum in Lauro, sed etiam in siluis inter muscos eam nasci vidit. Praeterea etiam *Clauariam* flauam gelatinosam, conicam apice acuto, saepe medio coalitam trun-

truncis Faginis innatam, et *Tremellam rubram*, ſublobatam, externe glabram, ſiccam, interne liquore viſcidam deſcripſit et iconibus illuſtrauit. In *Boleto igniario* ſe ſeminis emiſſionem vidiſſe, quod per aëra diffiatum diſpergatur. Hac ratione etiam ſemen Clauariae in truncum Lauri deueniſſe putat.

23. FRANC. CAROL. ACHARDI *tentamina ſuper reſina elaſtica.* Primo circa gradum elaſticitatis tentauit varia; portio reſinae elaſticae 12 lin. longa, 5 ½ lin. lata et ¾ lin. craſſa, pondere ſeptem librarum extenſionem 37 $\frac{8}{10}$ lin. paſſa, octo librarum pondere autem rupta eſt. Deinde digeſtioni et deſtillationi eandem ſubmiſit, et de ſolubilitate in ſpiritu vini, ſalibus acidis alcalinisque et oleis agit. Soluit ſpiritus vini partem tantum deſtillati ex hac reſina olei; exinde patet aliam eiusdem olei eſſe ad aetherea, aliam partem autem ad pinguia olea referendam. Salia alia eam ſoluunt; alia, vt lixiuium alcalinum, plane non, alia vt ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus, aether nitri et aceti parum mutant. Olea autem omnia *aetherea* eandem ſoluunt, maxime chamomillae, terebinthinae, et ſuccini; *pinguia* parum in eandem agunt, *empyreumatica* plus ex eadem, quam pinguia, minus tamen, quam aetherea ſoluunt. Si oleis aethereis ſoluta reſina ſpiritu vini commiſcetur, haec ab illis ſeparatur, et inſtar viſcidi muci apparet, qui aëri expoſitus libero, et ſiccatus priſtinam reſinae elaſticitatem recipit. Hoc modo minoribus longe ſumtibus ex hac reſina inſtrumenta chirurgica parantur, quam MACQVERI methodo. p. 356.

24. I. A. E. GOEZE *de animalculis infuſoriis, alia vorantibus. Trichodam Cimicem* MÜLL. alia, quae tamen non nominat, vorare Noſter obſeruauit, idque p. 375.

que machina preſſoria confirmauit: preſſu enim *Trichoda* rupta eſt, et animalcula ab ea deuorata libere natarunt.

p. 385. 25. I. C. F. MEYERI *tentamina cum ferro natiuo Sibirico* a Cl. PALLAS inuento. Igne et acidis Cl. Auctor ferrum et lapidem, eidem immixtum diſquiſiuit: atque exinde colligit, ferrum hoc vere natiuum eſſe: fuſum enim eſſe non poteſt, cum non rigidum ſit, ſed malleo cedat. Lapidis vero drachma ex terrae martialis granis 8, ſiliceae granis 27, et *ſalis amari* vel talcoſae gran. 25, componitur, vt igitur Noſter eundem ad lapides talcoſos referat. Praeterea etiam ex his experimentis ſequitur chalybem et ferrum columnare, maximam in praeparatione phlogiſti partem amiſiſſe, etenim non niſi hoc addito igne fundi poterant: deinde phlogiſto ferrum rigidius fieri.

p. 415. 26. M. E. BLOCH, M. D. deſcribit nouas *Mileporas lineatam* et *ſubulatam*.

p. 420. 27. I. CH. E. refert, ſe in vaſis pulmonalibus *Apri* iunioris *Gordios* inueniſſe, qui *Gordio marino* ſimiles, diuerſi tamen ab eodem, eſſent.

p. 424. 28. Sequuntur *breuiores ex litteris relationes*. Cl. HENSCHEN, Pharmacopoeam Bremenſem, ex caſeo antiquo et putreſcente phoſphorum paraſſe
p. 431. refert Cl. KAPP, M. D. Lipſienſis. Cl. DE MEIDINGER quarzum ſic dictum muſcoideum, atque ci-
p. 453. trum monſtroſam deſcribit. Notatu dignae ſunt Cl. OTTONIS, M. D. Gryphiswaldenſis, obſeruationes de auibus. In *Mergis* tracheam characterem certum praebere ait. *Striges ſcandiacam, flammeam,*
p. 467. et *Vlulam* LINN. varietates eſſe putat. A nimia electricitate, et aëre electrico reſpirato Cl. BRINK-

MANN

MANN peripneumonia et febre putrida affectus est, atque hinc electricitatem vi discutiente et putrescente praeditam esse colligit. Cl. FVCHS refert, se prope a Potsdamo dentes Elephantinos molares et caninos effodisse. Cl. MEINEKE narrat, non procul a *Dessauia* in littore Albis etiam dentem elephantinum effossum esse. Cl. GOEZE in *Gordio Anguillae* viuos embryones vidit, quae de *Taeniis* hic scripsit, nouis obseruationibus, etiam ipsius Cl. Auctoris correcta iam sunt. p. 474. p. 480. p. 495.

29. IO. HENR. HAGEN, Pharmocopaeae Regiomontani, et BERNHARDI FELDMANNI M. D. vitae rationes describuntur.

30. Bibliothecae et musei Societatis catalogus.

Voluminis *quarti* contenta sunt: Vol. IV.

1. D. IO. GERH. KÖNIG *historia naturalis Termitis fatalis.* Varia ad Cl. FABRICII obseruata *) adduntur a Nostro, qui in loco natali haec insecta contemplatus est. Nidos et diuersitatem sexus diligenter describit. Lingua omnino sunt instructa, qua ad aedificandos nidos vtuntur. Praeter vulgarem et aliis dictam speciem, tres species huius generis esse putat, quarum prima ad vias in graminosis locis habitat, et reliquis maior est; altera silvas occupat, et phalangae digiti magnitudinem aequat, estque coloris nigro cinerei: has duas species nondum certe constituit, quum non satis eas disquirere potuerit. Tertia autem certe diuersa est, et colore nigro, et nidorum compositione, tum etiam singulari maxillarum structura, globosa nucha, cornu p. 1.

*) v. comm. nostr. Vol. XXII. p. 560.

cornu oblique deſcendente frontali. Icones bonae ſunt additae.

p. 29. 2. IO. ANDR. BEN. BERGSTRAESSER *Phalaenae crataegatae* LINN. hiſtoriam ex SEPPII libro vertit, huiusque egregiam iconem addit.

p. 42. 3. OTHO. FRID. MÜLLER *de muſcis aquaticis inviſibilibus*. In corporibus, quae nudis oculis non cognoſcuntur, ditius longe eſt regnum animale, quam vegetabile. Noua, quae deſcribit Cl. Auctor, ſunt: *Conferua hirta*, filamentis flexuoſis, dichotomis, ramulis apicem verſus ſecundis. In aquis circa Pyrmontum inuenit eandem, quae verum *Vorticellae nigrae* locum natalem praebet. Reliquas inuiſibiles plantas in aquis Weynbergenſibus reperit, easque *Muſcum burſaeformem*, (*Beutelmoos*) et *veſiculoſum* (*Blaſenmoos*) nominat. Poſterioris duas formas habet. Rara haec phaenomena iconibus bonis illuſtrantur.

p. 55. 4) EIVSDEM *de Arca Pernula* et *Mya corrugata*, quam poſteriorem bene depictam tradit. Prioris iam in tab. III. f. 17. 18. voluminis tertii icon inuenitur, atque illic cum poſteriori confunditur. Noſter eam vindicat hoc nomine: A. teſta oblonga, ſtriata, apice ſubtruncato, natibus incuruis approximatis, margine integerrimo clauſo.

p. 60. 5. M. E. BLOCH hiſtoria naturalis *Salmonis Maraenae* et *Maraenulae*. Habitant in lacu *Madui*, altera loco natali, lingua acuta, numero radiorum in pinnis earumque colore differt. Anatome etiam diligenter eſt ab Auctore ſubiuncta.

6. PET.

6. PET. CAMPER *de vera cauſſa morborum epi-* p. 95.
zmicorum in animalibus. Hic quidem tractatus
Societate praemio eſt coronatus. Cl. Auctor au-
em praemium Societati reddidit, quae aliam quae-
ionem proponeret, vt hoc praemio optima tunc
iatribe coronaretur. Morbi, quos conſiderat Cl.
uctor, ſunt, lues bouilla, varioli ouium, aphthae
oum, et equorum coryza maligna (*Rotz*). In
rimo capite oſtendit Cl. Auctor cauſſam morbo-
um horum graſſantium eſſe *quoddam ſingulare prin-*
ipium. Certiſſimum eſſe, ait, luem bouillam, nulla p. 102.
lia pecora, nec equos nec oues, nec capras, neque
eruos infeſtare, quae omnia Cl. Auctor in vno eo-
demque ſtabulo cum lue affectis bouibus nutriuit,
isque venenum luis inſitione indidit, ſaluis tamen
ingulis. Ex Dalmatia primum in Italiam veniſſe
et deinde per vniuerſam Europam diffuſam eſſe
putat. Materies luis inficiens vim inficiendi ple- p. 104.
rumque praelapſis duabus ſeptimanis, aut ſaltem
quatuor ſeptimanis perdit. Minima interim huius
venenatae materiei portio animal ſanum, nec dum
lue affectum inficit, inſitio fiat in quacunque de-
mum corporis parte. Nullus ex millenis bouibus
bis lue, vel naturali, vel inſitione producta eſt affe-
ctus. Vitulos etiam, qui nondum in aërem libe-
rum venerint, a lue non infici affirmat, quod autem
iidem poſtea aeque facile, ac alii boues experiantur.
Vituli a vacca, quae luem perpeſſa eſt, nati, primis
quinque menſibus veneni leniora effecta ſentiunt.
Mortuos a lue vel artificiali, vel naturali boues diſ- p. 108.
ſecuit Noſter, in vtrisque tamen easdem mutationes
vidit, HALLERoque adſentitur, qui pulmones ſemper
eſſe malo tactos, aliis variisque paſſim ſymptomati-
bus accedentibus.

Variolos ouium ſimili modo oues tantum eas- p. 109.
que ſolas afficere demonſtrat, eosque plane a vario-

lis infantum differre: horum enim materies ouibus
p. 111. inſita nullas omnino mutationes produxit. Equorum coryza maligna equos, aſinos, mulos hinnosque ſolos, igitur totum equinum genus occupat: ſed materies ichoroſa cum potu ſanis equis data eos nullo afficit, neque ſi aeger equus vno in ſtabulo cum ſanis detineatur, hi inficiuntur: ſed materies, ichoroſa, ſanorum equorum ſanguini inſitione mixta eos omnino afficit. Hunc morbum inſanabilem eſſe, et, ſi ſummus ſit, inficientem putat.

p. 114. Eſſe igitur vnicuique horum morborum ſingulare principium, quod ſemper vnum eundemque morbum producat et per aërem tanquam vehiculum vndique diſſeminetur, atque reſpiratione vel muco narium vel ſaliua, vel nutrimentis in corpus introducatur et cum ſanguine miſceatur, affirmat.

p. 115. In altero capite negat Cl. Auctor, hoc principium in aëre generari, quod, praeter alia argumenta, confirmat, Heluetia aliisque regionibus, vbi luis plane eſt ſuppreſſa ſubitanea boum interemtione. Aër igitur, frigus hibernum, aeſtus aeſtiualis, variique vapores neque augent, neque imminuunt luis
p. 125. ingreſſum. Sic et tertio capite, hoc venenoſum luis bouillae principium in ipſis boum corporibus latere negat, eosque, qui id affirmant, refutat. Febres etiam, homines afficientes, a materia maligna in aëre vagante deriuat: neque bilem deprauatam cauſſam febris, ſed potius effectum iudicat. Sic etiam originem luis venereae ex America defendit, negatque hanc ex ſolo coitu oriri poſſe. Interim varia adſunt teſtimonia, quae contrarium magis vero ſimile reddant *). Atque dubia tamen ſemper manet quaeſtio, vnde primum horum morborum
p. 133. principium ortum ſit. Ab inſectis hos inficientes morbos oriri capite quarto recte negat.

Iam

*) cf. FORSTERI itineris deſcriptio infra. p. 221.

Iam capite quinto ad remedia his morbis op- p. 140.
ponenda accedit. Curatoria omnino nulla dan-
tur *). Equos coryza affectos primo morbi indi-
cio necari vult. In reliquis malis remedia prophy-
actica sunt conquirenda, quae vt certo definiri pos-
sint, multis tentaminibus suadet tempus determi-
nari, quo vis veneni inficientis animalis lue mortui
cesset: Ideoque 1) quosdam boues, lue mortuos, p. 150.
sepeliri suadet, atque horum cadauerum carne
ad sexagesimum diem vsque insitionem tentari: 2)
idemque fieri vult, carne salita et fumo indurata,
a bouibus lue affectis sumta, 3) eadem tentamina
cum sebo repeti iubet. Expertum enim est, ho-
mines quidem sine noxa carne morbidorum boum
fruitos esse: at hac carne tamen in alia regione
boues infici possunt. Eadem tentamina cum va-
riolis ouium et coryza equorum possunt institui.

Subitaneo animalia lue affecta necare prae- p. 153.
stantissimum quidem est remedium, si possessori
noxa sumtu communi resarcitur atque ingressus
pecoris suspecti impeditur: attamen non vbique
adhiberi potest, nisi *omnes Europaei Principes vna-
nimi consensu loca, in quibus lues grassatur, suis limi-
tibus arceant*, quemadmodum in peste fit. Donec
hoc fiat nullum remedium, luem imminuendi, esse p. 158.
docet capite sexto, nisi *ipsam luis insitionem*. Hac
enim 1) vituli tantum, minus pretiosi, morbi pe-
riculo submittuntur, 2) prius lue afficiuntur vac-
cae, quam coierunt cum tauro, quod maximum
commodum est: lue enim naturali affectae vaccae,
si vel reconualescant pariendo sunt ineptae. Innu-
merabilibus Cl. Auctoris et aliorum experimentis
probatum est, boues, a lue insita sanatos, nunquam

*) cf. in vniuersum HALLERI de lue bouilla tract. vid:
comm. nostr. Vol. XX. p. 609.

ab ea infici, atque longe maiorem boum numeru
inſitione ſeruari, quam a naturali lue omni vel cu
adhibita ſanantur. Eſt igitur inſitio inſtituenda
vitulis, ante quintum aetatis menſem. Atque
aliquando materies deficiat nonnullos vitulos, co
muni ſumtu eſſe deſtinandos, quibus certo quod
tempore his morbus inſeratur *).

p. 167. 7. LAVR. SPENGLERI *de Pholade lignorum*
Pholade puſillo LINN. et *de Turbone* nouo, extus c
vitatibus burſaeformibus praedito, pertinente
Turritorum familiam. Vtraque teſta egregiis e
iconibus et deſcriptione bona illuſtrata.

p. 183. 8. I. H. CHEMNIZ *de Balaena roſtrata*. Cuti
eiusdem eſt nigerrima. In capite etiam oleoſa ma
teries, perperam *Sperma Ceti* dicta reperitur, ex qua
candelae parari poſſunt. Eſt rariſſimum, velociſſ
mumque animal. Capitis ſtructura adeo ſingularis
eſt, vt ex eo ſolo, quod Cl. Auctor tantum obtinuit,
diſſ

*) Placet hoc loco, recentiores quosdam libros, inſitio-
nem luis venereae commendantes nominare, quorum
eorum, quippe a noſtro inſtituto remotiorum, vbe-
riorem mentionem reddere non poſſimus.

*Erfahrungsmäſſige Abhandlung von den verſchiednen Sc
chen und Krankheiten des Rindviehs etc. von dem Ver
faſſer der Berliniſchen Beyträge zur Landwirthſchaft
Berlin.* 1779. 8.

*Die gehobne Gefahr beym Eintritte der Rindvieh*ſeuche
Berlin, 1779. 8.

Genaue Beſchreibung der von dem Herrn von BÜLOW
*verſuchten Jnokulation der Rindviehſeuche. Bützow
und Wismar*, 1779. 8.

ULRICH CHRIST. SALCHOW *eröfnet ſeine erfund
ne Heilung und gänzliche Tilgung der Rindviehſeuche
Hamburg.* 1779. 8.

IDEM *erläutert und beſtätigt ſeine Durchſeuchungsc
etc. Bremen*, 1780. 8.

difficile ſit iudicatu, quaenam maxilla inferior, quae ſuperior dicenda. Quod ſi, vt LINNAEVS ait, craſſior maxilla eſt inferior, haec firma et immobilis, ſuperior autem mobilis erit. An igitur forte craſſior maxilla eſt ſuperior? Roſtrum dentibus inſtructum eſt. Dubitat Noſter Balaenam hoc roſtro lac ex mammis ſugere poſſe, ideoque eam a mammalibus ſeparari mauult. Ex hac deſcriptione varia in LINNEI, KLEINII et ERXLEBENII dictis corrigi poſſunt.

9. HENR. SANDER *deſcriptio itineris ſubterranei in fodinis lithanthracum circa Valenciennes.* Nihil niſi communia et cuilibet, qui ſemel fodinas intraverit, cognita refert. Lithanthraces illic in *venis* inueniri, de quo tamen dubitamus, atque machinis igne mouendis aquam ex altitudine educi aſſerit. p. 190.

IO. GVIL. FRIDER. Liberi Baronis A GLEICHEN, RVSWORM dicti, *anatome et microſcopicae obſeruationes Taeniae latae* LINN. et *Vermium ſic dictorum cucurbitinorum*, icone illuſtratae. Egregiae ſunt obſeruationes, ſed dubia videntur, quae ex iisdem colligit. Vidit Cl. Auctor interiori membranae *Taeniae*, adhaerere corpuſcula minima, in *lata* oblonga, in *cucurbitina* orbicularia, quae quidem ſingula animalcula in communi membrana incluſa eſſe defendit, adſentiturque Cl. DELISLII hypotheſi, Hydras congeriem talium animalculorum habenti. Aperturas in ſingulo articulo ora eſſe putat: etſi caput vniuerſale non negat, quo affiguntur taeniae. Ipſos hos articulos ſolutos nunc eſſe viua animalcula, vt hydrae partes, quae tamen non iterum aliis vniantur, neque in inteſtinis maneant. p. 203.

p. 225. 11. IO. E. GOEZE *de vero devoratore Hydrarum.* Nullum a TREMBLEYI tempora animal detectum eſt, quod *Hydras* voraret, donec Cl. EBEL, Berolinenſis, obſeruaret, *Helicem ſtagnalem* LINN. ſ. *Buccinum paluſtre* O. F. MÜLLERI easdem copioſe vorare. Quam quidem obſeruationem Cl. GOEZE confirmat, ſimulque in dubium vocat SLABBERI *) obſeruationem, qui laruam *Tipulae littoralis* Hydris veſci ſcripſerit, cum Ill. Comes DE BORKE Hydras his laruis frui viderit; forte igitur vtrumque locum habere coniicit.

p. 241. 12. In *Buccino Lapillo* LINN. veram purpuram contineri ex obſeruatis Cl. STRÖM refert I. H. CHEMNIZ. Non in vaſis, ſed in vtero cochlearum eandem inuenit, ſimulque hic ratio, eadem tingendi, docetur.

p. 254. 13. *Deſcriptio Zeolitae, eius ſpecierum et varietatum, quoad characteres externos* a IO. ZOEGA. Tres varietates aſſumit Zeoliten fractura terrea, vel friabilem, vel ſolidum; radiatum et cryſtalliſatum. Optaremus, Cl. Auctorem vſum fuiſſe terminis magis diſtinctis et determinatis iuxta methodum a Cl. WERNERO propoſitam **). Interim et haec varietatum recenſio eſt laudanda.

p. 263. 14. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de noxiis effectis Rhois Toxicodendri* LINN. Homines circa hanc fruticem operantes quolibet verno tempore exanthematibus in cute inflammatoriis et veſiculoſis ſ. *Phlegmone puſtuloſa*, infeſtabantur: acceſſit febris, dyſenteria et alia mala, quae tamen praeterito verno et aeſtiuo tempore iterum ceſſabant. Cl. Auctor hanc

*) *Phyſicaliſche Beluſtigungen. S.* 10.
**) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

hanc plantam aliasque huius generis, vt *R. radicantem, Vernicem,* diligenter et vberius deſcribit.

15. I. F. W. HERBST *deſcriptio et icones quorundam inſectorum nouorum vel nondum depictorum.* Noua ſunt: *Elater punctatus, Dytiſcus tardus, Carabus dubius, Bupreſtis Berolinenſis:* haec omnia ſunt indigena. Primum hic depicta: *Hiſpa atra, Curculio Spengleri, Cerambyx Thomae, Scarabaeus Sphinx* et *Cetonia verſicolor* FABRIC. quam poſteriorem *Scarabaeum Thebanum* nominat. Icones ſunt mediocres: in exoticis ſaepe ne antennarum quidem veſtigium apparet. p. 314.

16. I. C. F. MEYERI *tentamina cum Zeolite ſpathoſo.* Es iisdem patet, contineri in eodem *terrae ſiliceae* 58 ½ partes centeſimas, *calcareae* 6 ⅔, *aluminaris* 17 ½, et *aquae cryſtalliſationis* 17 ½ pro centenario. Caeterum et Auctoris et Cl. BERGMANNI experimenta confirmant proportionem hanc partium conſtitutiuarum admodum variare. p. 327.

17. IO. ESAIAE SILBERSCHLAG *phyſico mathematica deſcriptio montis Bructeri.* Prope ab Ilſenburgo crater obſeruatur, cuius longitudo circiter 200 perticas et latitudo 100 pert. aequat. Ex hoc eiectos eſſe ſilices aliaque fruſta lapidea, atque ſic illic quaquauerſum vſque ad ſummum Bructeri cacumen diſperſa. Montis igniuomi tamen nulla inuenit veſtigia. Ipſe Bructerus granite conſtat, atque ſuperficies turfa, muſco et plantis humilibus tecta eſt, quibus ſtatim granites ſubiacet. Scaturigines ex ſummo monte, altiori in loco, quam vlli alii montes, oriuntur, easque ex ipſis Bructeri interaneis naſci, neque a vaporibus, nebulis aut nubibus, neque ex aliis montibus deriuandas eſſe ſtatuit. p. 332.

p. 349. Ipſum igitur Bructerum intus cauum eſſe, atque cavitates tres ſibi eſſe ſuperimpoſitas putat.

Cum Noſter in Bructero eſſet, nubem illic quieſcentem intrauit, variaque vitae pericula, ſimulque ſonum perire, atque vento potiſſimum grandinem formari, niuisque cryſtallos ſubito oriri expertus eſt. Adiicit catalogum plantarum, ab Ill. GLEDITSCHIO in Bructero et circa eundem inuentarum, nominibus Linneanis. In ſummo monte, praeter Papiliones quosdam et Motacillas, nulla animalia vidit. Quaedam de ſignis tempeſtatis mutandae et electricitate Bructeri. Trigonometrica methodo altitudinem Bructeri metitus eſt Cl. Auctor, atque inde eius altitudo euenit 2722 pedum Pariſinorum, quae altitudo ea, quam Cl. Auctor quondam barometrica dimenſione inuenit, 57 pedibus, et illa, a Cl. ZIMMERMAN etiam barometro inuenta, 85 pedibus maior eſt. Ex cacumine montis ſuperficiem, cuius diameter 35 miliaria Germanica aequat, intueri poteſt obſeruator. Additae ſunt tres tabulae aeneae montem ipſum et regiones circumiacentes illuſtrantes.

p. 408. 18. Cl. M. E. BLOCH diſſerit *de origine regularium impreſſionum in lapidibus vitreſcentibus.* Primo originem *Echinitae fauoginei* conſiderat. Cellulas eiusdem a cryſtallis, interiora Echinitae occupantibus, deinde autem ſolutis oriri cum Perill. DE BROCKENBVRG et aliis *) putat: figuram vero cryſtallorum et cellularem, vel 3, 4, 5, 6, 7edram a figura aſſularum, teſtam Echini conſtituentium, non vero a mixtione lapidis cryſtalliſati pendere; ſi vero cellulae triëdrae ſolae adſint, echiniten iam fuiſſe petrificatum et intus glabrum atque ſic lapidem genuinam formam aſſumſiſſe. Deinde

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 715.

Deinde de variis impreſſionibus, aliis lapidibus, praeſertim quarzo, chalcedonio, etc. factis, agit, easque vel ab aliis cryſtallis, vel a petrefactis ortas eſſe, easque horum lapidum, cum orirentur, mollitiem demonſtrare putat.

19. Cl. IO. HERRMANNI, Profeſſoris Argentoratenſis, deſcriptio *Phocae* nouae, quam *Monachum*, capite inauriculato, dentibus inciſoribus vtriusque maxillae quatuor, palmis indiuiſis, plantis exunguiculatis, pilis nigricantibus ſiccitate ſurrectis molliuſculis, dicit. Hanc a LINNEO aliisque praeteruiſam, veteribus vero iam dictam eſſe demonſtrat, atque varia alia ad huius animalis hiſtoriam, vt et ad reliquarum Phocarum cognitionem egregia addit. Icone bona forma corporis illuſtratur. p. 456.

20. I. F. BOLTEN *de Ammonitis*. Eos potius partem caudalem incogniti cruſtacei, quam petrefactas cochleas iudicat. Etenim cum Ammoniten nodoſum late carinatum, cuius icon addita eſt, a limo, cui inhaereret, purum redderet, non ſolum nucleum cauum et initium Ammonitae, inſtar caudae apicis ſeparatum, inuenit, ſed elaſtico etiam motu omnes gyros ſolutos atque articulos mobiles fieri, arcte tamen inter ſe nexos manere obſeruauit. p. 510.

21. I. CHR. FVCHS, *quaedam ad petrefactorum hiſtoriam addit*. In Iaſpide et Iaſpachate varia conchylia petrefacta inuenit, quae tamen calcarea erant: qua quidem obſeruatione hactenus aſſumtum axioma in *Iaſpide petrefacta nulla inueniri* limitari putat. p. 518.

22. D. M. E. BLOCH ad *hiſtoriam Vermium in aliis animalibus viuentium* quaedam addit. Medicos erraſſe p. 534.

erraſſe recte monet, qui remedia anthelminthica quaererent, incurii de natura et origine vermium, ex quarum cognitione tamen remedia demum colligi poſſint. Deſcribit deinde Vermes quosdam ex Piſcibus, vt *Faſciolam Lucii*, *Taeniam tricuſpidatam Aſcarin Acum*, et *Taeniam hydatidem* ex Lucio, *Taeniam Craſſam* et *Faſciolam inteſtinalem*, quae in variis piſcibus habitant. In ventriculo Falconis larvas Oeſtri inuenit, ex Anſere *Taeniam Anſeris*, ex Anate penelope *Taeniam lineatam* et *Taen. infundibulum* indicat. Iis ſubſcribit Noſter, qui hos vermes non alibi vnquam eſſe, ſed in ſolo animalium corpore tantum habitare ſtatuunt. Caeterum haec, a Cl. BLOCH propoſita, illis, a Perill. DE GLEICHEN obſeruatis, plane repugnant. Iconibus nouae ſpecies illuſtrantur.

p. 562. 23. *De apparitione et curſu Cometae anni* 1779, *Auctore* I. E. BODE.

p. 579. 24. Cl. BLOCH *miſcellanea ornithologica*. Lectu digna ſunt obſeruata circa ſtructuram tracheae, admodum variabilem in Auibus. Non ſolum in Cuculo, ſed in pluribus aliis auibus e. g. *Coracia Garrula*, *Caprimulgo Europaeo*, *Fulica atra*, *Falcone Tinnunculo* et aliis etiam ventriculum proxime ad peritoneum ante inteſtina ſitum eſſe obſeruauit: igitur hunc ſitum ventriculi cauſſam eſſe, cur Cuculus ouis nequeat incubare, negat contra Cl. HERISSANT et LOTTINGER *).

25. Sequuntur breuiores relationes. Cl. CAR. GVIL. SCHEELE terram ponderoſam eſſe a calcarea diuerſam docet: nam fluit in igne, eius aqua calcarea omnia

*) vid. mém. de l'Academie de Paris, ann. 1752. et comm. noſtr. Vol. VI. p. 648. et 672.

omnia ſalia vitriolica neutra decomponit; ſpatum ponderoſum regeneratum in aqua non ſolui poteſt, cum acido nitri et ſalis cryſtallos aëre non deliqueſcentes, et cum aceto ſal deliqueſcens format. HENR. SANDERI relatio de lacu in margrauiatu Badenſi, Zircenſi in Carniola ſimili. De cornubus *Ouis Strepſicerotis*, quae ab *Antilope Strepſicerote* omnino differt. IO. GOTTL. STEGMANNI deſcriptio noui acu magnetica praediti inſtrumenti, quo etiam altitudo et planities metiri, ſic quoque acus magneticae inclinatio et declinatio inueniri poſſit. p. 619.

26. *Epitome* vitae, a Cl. MARTINI geſtae. Prodiit vberior diligentiſſimi ac meritiſſimi viri vita, a Cl. I. A. E. GOERZE ſingulari libro deſcripta.

II.

A Voyage round the World in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution, commanded by Capt. IAMES COOK, during the Years 1772-1775. By GEORGE FORSTER, F. R. S. Member of the Royal Academy of Madrid and of the Society for promoting natural Knowledge at Berlin. In two Volumes, Vol. I. London, printed for B. White, 1777. pagg. 602. praeter praefationem. Vol. II. ibid. eod. pagg. 607.

item.

IOHANN REINHOLD FÖRSTERS *Reiſe um die Welt, wärend den Jahren* 1772 *bis* 1775, *in den von Seiner itztregierenden Grosbrittanniſchen Majeſtät auf Entdeckungen ausgeſchickten, und durch den Kapitain* COOK *gefürten Schiffe* the Reſolution

lution *unternommen. Beſchrieben und herausgegeben von deſſen Sohn und Reiſegefärten* George Forſter. *Vom Verfaſſer ſelbſt aus dem Engliſchen überſezt, mit dem Weſentlichſten aus des Kapitain* Cooks *Tagebüchern, und andern Zuſätzen für den teutſchen Leſer vermehrt, und durch Kupfer erläutert. Erſter Band. Berlin, bey Haude und Spener,* 1778. 451 *Seit. in* 4. *Zweyter Band. ebendaſ.* 1780. 467 *Seit.* 4.

i. e.

IOAN. REINH. FORSTERI iter circa orbem terrarum, annis 1772-1775 peractum in naue, *Reſolutio* dicta, et a IACOBO COOK gubernata. editum et deſcriptum a filio GEORGIO FORSTERO. Vol. I. II.

Vtramque et Anglicam, et Germanicam huius libri editionem nos indicamus, ita tamen vt poſterioris potiſſimum rationem habeamus, quae multis in locis auctior et emendatior eſt. Neque tamen perfectam epitomen dabimus, ſed ad potiores relationes, quarum plurimae libro inſunt lectu digniſſimae, Lectores attentos reddere cupimus. In introductione narratur, Braſſicam fermentatam, gelatinam animalem, ex iuſculo carnium inſpiſſatam, gelatinam Orchidis, Salep dictam, rob Citri, ac ſuccum inſpiſſatum Dauci Carotae, atque inprimis infuſum polentae efficaciſſima fuiſſe remedia contra ſcorbutum et alios morbos nauales.

p. 3. Primum caput continet iter a *Plymouth* verſus inſulam *Maderae*, cuius deſcriptio additur. Incolae ſunt colore nigreſcente, bene formati, magnis tamen pedibus inſtructi. Tota inſula eſt mons, quem

quem quondam igniuomum fuiſſe lapides poroſi, lauae ſimiles, cementum naturale, atque crater in eius ſummitate demonſtrant. *Arum eſculentum* et *Conuoluulus Batatas* cum *Fago Caſtanea* coluntur, atque comeduntur. Auium plures, et inter eas, *Tetrao rufus* et *Loxia Aſtrild* ibi habitant.

Capite ſecundo iter vſque ad Caput Bonae Spei narratur. Inſulae Capitis viridis deſcribuntur. Incolae miſero in ſtatu viuunt. *Simia Sabaea* illic habitat. Circa aequatorem nouum molluſcorum genus, quod *Glaucus* atlanticus dicitur, obſeruatum eſt: colore erat coeruleum, limaci ſimile, tentaculis quatuor ramoſis. Sic quoque noua *Dagyſae* ſpecies, cuius indiuidua ſibi inuicem adhaerebant, nouaque Meduſae ſpecies apparuit. In alto aequore *Helix Ianthina* obuenit, ſimulque opinio refutatur eorum, qui hanc cochleam Purpuram Veterum eſſe propoſuerunt *). Prope a Capite Bonae Spei omnis oceanus lucere incepit: atque haec lux a corpuſculis gelatinoſis minimis, quae proles Meduſae Noſtro videntur, pendet, et motu aquae marinae augetur. p. 23. p. 38.

Tertio capite remora in Capite Bonae Spei, atque relatio de colonia Belgorum enarratur. Praeter *Bubalim* alia bouis feri ſpecies, quae ab incolis *Gnu* dicitur, illic habitat, omninoque Antilopum ſpeciebus diues eſt regio. Etiam Hirundines illic habitant, vt igitur KOLBIVS recte, et DE LA CAILLE perperam obſeruauerit, quemadmodum etiam Noſter prioris relationes omnino naturae conuenientes inuenit. p. 46.

Quarto capite itineris in inſulas antarcticas atque acceſſus in oram nouae Seelandiae ratio datur. In latitudine auſtrali 49 graduum et 45 minutorum p. 65.

*) vid. HAWKESWORTHS Hiſtoria itiner. Vol. II. p. 13.

rum ingentes maſſae glaciales, lente natantes animaduerſae ſunt; atque eaedem probant in alto mari glaciem natantem oriri. Magis verſus polum auſtralem nihil, niſi glaciem, obſeruarunt nauigantes: vt itaque omnis BOUVETI de terris auſtralibus relatio ad fictiones numeranda ſit. In hoc glaciali mare nihil niſi aues impennes, quas *Aptenodytes* nominat, *Procellarias*, et *Delphinos* videre licuit. Frigus erat ſummum, etſi non vltra 55 gradum profecta eſſet
p. 78. nauis. Aptenodytae pennis duris et laeuibus inſtruuntur, eaeque ſquamarum ad inſtar ſibi incumbunt, auemque a frigore cuſtodiunt: cutis praeterea eorum dura, pinguedineque farta, et venter eorum latus eſt. Procellariarum pennae ex ſingula radice duae oriuntur, alia penna, alia pluma; alae earum ſunt longiſſimae, vt 700 Anglica milliaria a terra continente volantes occurrant. Mol-
p. 81. luſcis veſci videntur. Ex glacie, tepida tempeſtate diffluente, aquam dulcem obtinuerunt, quae purior erat illa, in naui ſuperſtite: interim, cum congelaſcendo aërem fixum perdidiſſet, non aeque ſana erat; nam omnes, qui ea vſi eſſent, glandulis tu-
p. 88. mefactis in collo infeſtabantur. In 58 gradu auſtralis latitudinis *auroram auſtralem* obſeruarunt, quae praeſertim colore albo a boreali diſtinguebatur. Caelum hoc meteoro praeſente erat clarum, aërque maxime frigidus. Eodem in gradu mare lucere viderunt, quod in tanto frigore notatu dignum eſt.

p. 93. Quinto capite remora in Noua Seelandia narratur atque huius deſcriptio datur. In auſtrali inſulae parte nauem appulerunt, in qua nunquam homines habitaſſe ſiluae denſiſſimae, arbores vento vel ſenio collapſae, atque putrefactae, filicum et aliarum plantarum repentium maxima copia, vti et aues minores ſ. paſſeres adeo cicures, vt nec homi-

homines, nec feles timerent, ſatis ſuperque demonſtrarunt. Nouis autem et plantis et animalibus ditiſſima erat inſula. Illarum quaedam hic deſcriptae et depictae ſunt, vt Myrtus noua, cuius folia infuſa Theae ſimilem potum, guſtu ſuauem ſuppeditabant; deinde Abietis ſpecies, quam florentem non obſervarunt, quae cocta cereuiſiam porrigebat. Huc etiam pertinet *Dracaena auſtralis*, cuius medulla amygdali ſaporem aemulatur. Ex *Phormio tenaci* FORST. fila et funes ad cymbas ligandas parantur. Ex piſcibus *Gadi* noua ſpecies, nigro colore praedita, carnis ſapidiſſimae erat. *Phoca vrſina* etiam hic habitat, quae ab Kamtſchatkaënſi ſolum minori magnitudine differt. Ex adipe oleum coqui curauit Cl. COOK, carne vix veſci poterant nautae; cor et hepar autem eſu ſunt aptiſſima. *Pſittaci* etiam illic degunt, quos praeterea in calidioribus tantum regionibus peregrinatores obſeruarunt. Omnis *noua Seelandia* montoſa, montibus ſummis, et praecipitibus, qui vel ex Granite, vel ex ſtratoſo lapide argillaceo et talcoſo, quem alibi lapidem Nephriticum nominat Cl. Auctor, conſtant. Eſtne forte hic lapis idem cum Gneuſſo noſtratium, vel Schiſto micaceo. Optaremus omnino diligentiorem montium eorumque naturae deſcriptionem, quae phyſicam telluris cognitionem magnopere illuſtraret. In omni auſtrali *nouae Seelandiae* parte tres tantum hominum familias obſeruarunt, quae ingenui moribus, fortes et reliquis borealis regionis huius inſulae incolis ſimiles erant. Generatim itaque huius ſinus, *Duſky Bay* dicti, clima inſanum et humidum eſt, neque vllae plantae antiſcorbuticae ibi creſcunt.

Sextum caput itineris verſus boreales nouae Seelandiae regiones, atque remorae in ſinu Charlottae (*Charlotten Sund*) rationes refert. Illic plan- p. 143.

tas antiſcorbuticas inuenerunt, *Lepidium*, *Apium*,
p. 152. *Sonchum oleraceum*, et *Tetragoniam cornutam*. Montes hic plerumque ſunt argillacei atque lapide nephritico abundant, vti et ſaxo, quod ex mica et quarzo componitur.

Incolarum mores vberius ſimul deſcribuntur. Ad mammalia huius inſulae, quae in priori itineris deſcriptione *) indicata ſunt, pertinent *Phoca leonina*, *Canis familiaris*, et quidem ea varietas, quae gregibus ouium cuſtodiendis adhibetur, atque *Veſpertiliones*.

p. 175. In littore etiam fruſta Pumicis atque Laua diſperſa erant, ceu certa indicia in hac inſula aut montes igniuomos fuiſſe, aut etiamnum illic reperiri. Noſtri peregrinatores vſu plantarum atque reliquorum ciborum omnes reconualuerunt, vt menſe Iunii anni 1773. iter verſus inſulam *O-Tahiti* inſtituere ſani poſſent, cuius quidem deſcriptionem dat Cl. Auctor *ſeptimo capite*. Menſe *Iulii* in naue *Aduenture* ſcorbutus admodum nautas inuehebatur, quod a tepidiore climate et defectu aëris recentis in illa naue deriuat Cl. Auctor.

p. 192. Pauca ſunt, quae ex octauo capite, commorationis in *O-Tahiti* inſula hiſtoriam continente, naturalem hiſtoriam ſpectant. Nouas plures plantas inuenerunt. Puellae iam decimo anno coitum exer-
p. 205. cent, omninoque feminae ſunt ſalaces. *Morus papyriferae* cortex, cuius fila glutine *Hibiſci eſculenti* vniunt, incolis ad conficiendos pannos inſeruit; *Arum*, *Gardenia*, *Guettarda*, *Calophyllum*, *Muſa* aliaeque aromaticae et eſu vtiles plantae illic coluntur. *Bromeliae ſilueſtris* LINN. folia tegmina tuguriis ſuppeditabant. Praeter Sues, quae Chinenſibus auribus erectis ſimiles erant, et Canes, nulla quadrupedia hic habitant. Auguſti menſe in hac inſula

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 463.

inſula Noſtri commorati ſunt, qui cum Februario in noſtris terris ſimilis ſit, plantas plurimas hiemis ſopore ſepultas, nullasque florentes inuenerunt. Montes alti, fiſſuris plurimis rupti, terrae motus adfuiſſe demonſtrant, quemadmodum etiam Lauae, quibus incolae ad conficienda vtenſilia vtuntur, et humus reliquiis vulcanicis mixta montes igniuomos quondam adfuiſſe indicant. Arena martialis in baſi montium inuenitur. Montes ſunt argillacei, ferro impraegnati: Fruſta quarzi etiam hinc inde reperiuntur. Praeter ferrum autem nulla metallorum veſtigia reperiuntur.

Quae in magna *Tahiti* inſula (*O-Tahiti Nue*) p. 245. obuenerunt, a Cl. Auctore nono capite narrantur. Hic planities maiori-ſunt ambitu, montes ſenſim eleuantur, cacuminibus altis conuexis finiuntur. Palmis littora virent, atque *Artocarpus* copioſe ante tuguria colebatur. In ambabus inſulis proceres et rex reliquos incolas corporis magnitudine et obeſitate antecellerunt. Hic etiam prima vice *Barringtoniam* *) inuenerunt, arborem floribus elegantiſſimis, ſtaminibus numeroſis et antheris rubentibus ornatam; cuius fructu nuciformi piſces inebriantur, ſimili, quo cocculis Indicis, modo.

In reliquis Societatis inſulis praeſertim in p. 279. *Huaheine* magnam Suum, Canum et Gallinarum copiam conquiſiuerunt, vti in *decimo* capite Cl. Auctor refert. Ardeae et Alcedinis nouas ſpecies hic animaduerterunt, quas incolae diuis honoribus venerabantur. Ex inſula hac incola, nomine *Omai*, patriae vale dixit atque nauigatores comitatus eſt. In in- p. 298. ſula *Raietea*, quae a COOKIO *Vlietea* dicitur, commorantes, multas nouas plantas inuenerunt. Montes ibi ex flaueſcente lapide argillaceo compoſiti erant, in quo hinc inde ſilex pyromachus, atque

 fruſta

*) vid. FORSTERI noua gener. plantt. et infra p. 241.

fruſta poroſae albae Lauae, veſtigiaque ferri ſeſe obtulerunt; vnde hanc inſulam, quemadmodum reliquas, ex rupto monte igniuomo quondam ortam eſſe ſuſpicatur Cl. Auctor. Ex arboris piperatae, hic *Awa* dictae, ſucco, potus ſpirituoſus, incolis delicioſus, Europaeis autem ingratus paratur. Ex hac inſula, iuuenis *O-Hedidi*, vel etiam *Maheine* dictus, nauigantes ſequebatur.

p. 315. Inſulae, a TASMANO *Middelburg* et *Amſtelodamum* dictae, a Noſtro *amicae* nominabantur, cum incolae miram Noſtris amicitiam praeberent, cuius plura teſtimonia et reliqua notatu digna capite vndecimo traduntur. Incolae *Tahitanis* ſimiles ſunt, magis tamen laborioſi, atque artificioſi. Palmarum ſ. *Cocos nuciferae*, vt et *Citri decumanae*, *Erythrinae corallodendri*, *Caſuarinae equiſetifoliae*, plantarumque nouarum magna copia inſulae abundabant: animalium autem et aquae recentis defectu, vel non ſufficiente quantitate laborant. Incolae etiam elephantiaſi ſaepiſſime infeſtantur, quae praeſertim faciem occupat, naſum derodit, atque abſceſſus ichoroſos producit: huic malo cauſtico quodam mederi

p. 338. ſtudent. In inſula *Tongatabu* vel *Amſtelodamo Veſpertilionis Vampyri* maximam copiam Caſuarinae ramis inhaerentem obſeruarunt: quorum manus expanſae magnitudine 3 vel 4 pedes aequabant: ipſique Veſpertiliones vegetabilibus veſcuntur. Littus boreale ex rupe corallina conſtat: quae cum ſemper ſub aqua generetur, ſequitur ea loca, in quibus ſupra aquam animaduertitur, quondam aquae marinae immerſa fuiſſe. Igitur hic aut ſenſim imminutum fuit mare, aut alia ſubitanea transmutatione inſula orta eſt. In hac inſula Sues, atque Gallinas ſat magna in copia emerunt nauigantes. In minori vicina Inſula *Coluber laticaudatus*, quem innoxium eſſe confirmatur, habitat. Incolae caeterum

rum moribus et habitu etiam Tahitanis ſimiles ſunt, ſic etiam eorum lingua multa communia habet: quapropter omnes communi quondam ſtirpe ortos exiſtimat Cl. Auctor.

Per quatuor menſes in climate benigniori, nempe in inſulis ſocietatis et amicis, commorati, verno illarum regionum tempore, iter iterum in auſtrales pararunt regiones, ideoque iterum nauibus verſus *nouam Seelandiam* profecti ſunt, in qua etiam, perpeſſa ingenti procella, qua a naui *Aduenture* ſeiungebantur, Nouembris altera die aduenerunt. Plantae Europeae a Noſtris illic ſatae bene creuerunt: animalia autem ab incolis interemta fuerunt. Incolas omnino homines, hoſtes tamen ſolum, vorare, Noſtri viderunt. Certhia cincinnata ab iisdem nomine diuo veneratur. p. 362. p. 385.

Decimo tertio capite iter vſque ad *Inſulam* auſtralem, *paſchalem* dictam narratur: ex cuius deſcriptione, quam decimum quartum caput tradit, haec ad nos pertinent. Littus ex maſſa ſpongioſa et ferruginea conſtat, ideoque igne orta eſſe videtur: generatim tota inſula ſicco et ſterili ſolo conſtat. Lingua incolarum *Tahitanae* ſimilis eſt. Maxima in hac inſula arbor altitudinem 10 pedum non ſuperabat. Vulcanici lapides in tota inſula copioſe inueniuntur. *Morus papyrifera* incolis veſtimenta, et *Hibiſcus populneus* colorem flauum ſuppeditat. Ex *Mimoſa* quadam clauas atque cymbas conficiunt. *Heliconia Bihai*, *Saccharum*, *Apium*, *Dioſcorea alata* et *Paſpalum* hic naſcuntur: in genere, vix vltra 20 plantas illic inuenerunt. Praeter Gallinas et *Sternam ſtolidam* nulla animalia animaduerterunt Noſtri. p. 398. p. 411.

Altera parte huius itineris refertur acceſſus in inſulam *Waitahu*, qua relicta, iterum in inſulam *Tahiti*, et inſulas amicas profecti ſunt. Hic,

reſtituta omnium ſanitate, inſulas nouas Hebridum, nouam Caledoniam et inſulam Norfolk detexerunt, iterumque nouam Seelandiam reuiſerunt. Deinde trans mare auſtrale in Terram ignis (*Terra del Fuego*) nauigarunt, nouasque varias inſulas detexerunt: Deinde rurſus in Caput bonae ſpei appulerunt, et per inſulas *St. Helenae*, Aſcenſionis, et Azoricas, in Angliam reuerſi ſunt.

p. 20. Inſulae Marqueſas, ad quas Waitahu pertinet, etiam vulcanicae ſunt originis. Sues, Glires, Gallinas aliasque Aues et plantas Auſtrales ibi inuene-
p. 33. runt. In inſulis, quas planas dixerunt, incolas ſibi inimicos offenderunt. Teſtudinibus apta ſunt arenoſa littora. Interim et hic Palmae et quidem Co-
p. 62. cos nucifera habitat. Montes altiſſimi in inſula Tahiti ſunt argillacea terra tecti, in qua multae aro-
p. 66. maticae plantae naſcuntur. Alia in regione ex Baſalte columnari mons componitur, columnae altitudinem 40 pedum, et diametro 18 pollices aequant, atque contiguae, parallelae et ad perpendiculum poſitae ſunt: vt igitur de vulcanica origine
p. 127. huius inſulae maxime probabilis ſit opinio. Ex teſtimonio incolarum confirmat Cl. Auctor, morbum venereum iam prius in inſulis Societatum ſaeuiſſe, quam vlla nauis Europaea illic venerit. Vt itaque eodem modo in his inſulis, quo in Europa *) ex ſolo libidinoſo vitae genere, neque ex contagio or-
p. 154. tus ſit hic morbus. Non procul ab inſulis amicis in *Tofua* inſula, montem igniuomum vrentem obſervarunt;

*) Demonſtratum nempe eſt, morbum in Europa fuiſſe prius, quam America detecta eſſet: vid. PETR. MARTYR. AB ANGLERIA decad. Americ. Diſſ. ſur l'origine de la maladie venerienne par Mr. SANCHEZ. Paris. 1752. et Examen hiſtorique ſur l' apparition de la maladie venerienne en Europe. Lisbonne. 1774. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 81. et II. dec. Supp. p. 156. et 519.

varunt; quem tamen propius contemplari nequiverunt. Incolae insularum nouarum Hebridum, a reliquis Australium terrarum forma et lingua prorsus differebant, neque nostris peregrinatoribus adeo confisi sunt. p. 159.

Insulae autem iisdem plantis fere aliisque nouis abundant. In insula *Tanna* iterum vulcanum ignem explodere atque post pluuias maxime in motum cieri obseruarunt. p. 211.

Simulque in Solfatara vicina gradum caloris in thermometro Fahrenheitiano 210°, qui in aëre libero 80° erat, emensi sunt. p. 225.

Alius mons ex stratis argillaceae terrae mollis, aëre dissolutae, constat, quibus arenaceus niger, lapis suillus et creta immixta erant. Incolae etiam hic anthropophagi sunt. Palmis, praesertim *Areca oleracea*, *Terminalia Catappa*, *Dioscorea oppositifolia* et Ficubus abundat. Praeterea plantas Indiae Orientalis, in nullis aliis orienti propioribus insulis visas, hic animaduerterunt, vt *Stercularia balanghas* et *foetida*, *Dioscorea alata*, *Ricinus mappa*, *Acanthus ilicifolius*, *Ischaemum nanticum*, *Panicum dimidiatum*, *Croton variegatum* etc. p. 270.

Prope montem, supra indicatum, etiam thermae scaturiunt, quarum aqua in thermometro Fahrenheitiano calorem 191° indicabat, non tamen argentum arrodebat. In Littore *Blennii* species, amphibii instar, pinnis pectoralibus in humidis rupibus repuit, atque saltubus 3 pedum effugit, et Laruis Gryllorum vesci obseruata est. p. 281.

Generatim montes huius insulae sunt argillacei, creta mixti. Argilla bruni et flauescentis coloris strata horizontalia fere format, atque cum lapide, ex cineribus Vulcani et granis Schörli orto, alternat, huic Tripelae species immixta est Ex his vulcani cineribus solum huius insulae fertile constat. Argilla alba, Solfataram obtegens, sulphure natiuo repleta erat: illic etiam bolus rubra reperitur, selenitae frusta, quibus in-

colae ornamenti loco ſeptum narium perforant, etiam hic nata videntur. Ipſum vulcanum curatius contemplari Noſtris ab incolis non concedebatur: eius tamen altitudo erat mediocris, ideoque BUFFONII aliorumque opinio montes igniuomos ſummos ſemper eſſe inde refutatur.

p. 298. *Noua Caledonia*, a noua Hollandia non magis quam 12 gradus diſſita, ab hominibus, qui omnibus auſtralium Terrarum incolis diſſimiles ſunt, incolitur: Noſtri tamen hanc magnam inſulam parum disquirere potuerunt. Tertio enim huius remoraedie noua ſpecie Tetrodontis, cuius hepar, Cl. COOK ſuaſore et comite, comederunt, eiusque veneno morbo vertiginoſo ita affecti fuerunt, vt a naue recedere non poſſent. Interim magna haec inſula vix 50000 incolas nutrire, plurimisque in locis inculta neque adeo fertilis videtur. Incolae autem erga Noſtros protinus ſe amicos praebuerunt, atque Cl. Auctor inter eos elephantiaſin communem
p. 308. morbum, non tamen atrocem eſſe adnotat. Montes ex quarzo micaceo, et granite componuntur, quibus *Melaleuca leucadendra* LINN. innaſcitur. Non procul a mari magna rupes reperiebatur, quae lapidis cornei naturam habebat, granatisque
p. 315. referta erat. Nulla veſtigia vulcanorum ibi obſervabantur. Praeter arborem, cuius fructus pulpa loco panis auſtralibus incolis inſeruit, etiam nouae Paſſiflorae ſpecies, et Cocos nucifera illic naſcuntur.
p. 342. Non procul a noua Caledonia Inſula pinetorum dicta, in qua multa Cupreſſi, Tetragonia et Cochlearia naſcebantur, detecta eſt. Ibi etiam multae *Angues*
p. 387. *platurae* in littore habitabant. In mari inter nouam Caledoniam et nouam Seelandiam *Delphinum Delphim* magna in copia obſeruarunt, vnumque neca-
p. 349. runt, cuius mammae lacte repletae erant. In inſula Norfolk omnes plantae nouae Seelandiae naſcuntur.

tur. In terra ignis (*Tiera del Fuego*) homines miſeri, quos Cl. DE BOUGAINVILLE *Peſcheraeh* dixit, etiam a Noſtris viſi et deſcripti ſunt. p. 391.

In inſulis prope a Terra ſtatuum *Phocae iubatae* SCHREB. et *vrſinae* magna copia, ſeparatim tamen, degebat. Pedes *Phocae iubatae* anteriores loco vnguium tubera tantum habent; poſteriores autem ſunt digitati et vnguibus inſtructi, atque cauda intermedia a ſe inuicem ſeparati; quod ideo monemus, quoniam in icone, a SCHREBERO data, pedes alia ratione depicti ſunt. In hac inſula etiam *Vultur Aura* habitat. p. 401.

In latitudinis auſtralis 54° inſulam detexerunt, cui *Georgiae auſtralis* nomen dederunt. In Eiusdem latitudinis 59° montes, quos *auſtrale Thule* nominarunt, et in 57° terram a comite DE SANDWICH dictam viderunt. Omnes hae terrae autem frigore torrent et incultae ſunt. p. 411.

Hoc itinere itaque, trium annorum ſpatio peracto, effectum eſt, nullam terram continentem in zona temperata auſtrali, neque verſus polum auſtralem, prae continua glacie vllam habitatam terram reperiri, et in ipſo alto mari ex aqua marina glaciem fieri, hancque calore ſolutam praebere aquam dulcem: praeterea obſeruarunt multa circa hominis naturam, atque multas nouas ſpecies animalium et plantarum Noſtri inuenerunt, pluraque de natura montium, praeſertim igniuomorum lectu digna tradiderunt. Interim tamen ipſe Cl. Auctor fatetur longe plura reſtitiſſe vel plane non viſa, vel obiter tantum conſiderata: non enim ſolum ab incolis illarum gentium, a tempeſtate morbisque; ſed, quod mirandum, ab ipſis comitantibus Anglis, inuidia erga Auctorem et Eius patrem captis, ſaepe impediti ſunt. Quod denique ſcribendi rationem Germa-

nici libri attinet, eam lectu amoenam, et de integritate et humanitate Cl. Auctoris testantem omnino esse ingenue est fatendum.

III.

Characteres generum plantarum, quas in itinere ad insulas maris Australis, collegerunt, descripserunt, delinearunt, Annis MDCCLXXII - MDCCLXXV. IOANNES REINOLDVS FORSTER, L. L. D. Societ. Reg. Scient. vt et Antiqu. ap. Lond. Sodalis et GEORGIVS FORSTER. Londini, Prostant, apud B. White, T. Cadell et P. Elmsly. MDCCLXXVI. 21 plagg. in 4. mai. tabb. aen. 75.

Splendidus hic liber, GEORGIO tertio, Regi Magnae Britanniae, dedicatus, est primus eorum fructuum, qui ex itinere quarto ab occidente in orientem suscepto in orbem eruditum redundarunt. Peregrinatores, vti ex itinerario *) appareret, vltra circulum Antarcticum ad LXXI. latitudinis Australis gradum processerunt, quo minus vlterius progrederentur glacie impediti. Facile coniicere licet hoc itinere copiosissima corpora naturalia nondum cognita animaduersa esse, quae cum perfecte disquirere vellent Auctores in Promontorio Bonae Spei ANDREAM SPARRMANNVM, M. D. Vpsalienſem, sibi socium et adiutorem laborum adiunxerunt. Atque sic aues, plantas, pisces, et testacea in continente collegerunt, quae in naue singuli descripserunt. SPAARMANNVS plantas describebat,

*) FORSTERS *Reise etc.* cuius mox antea mentionem fecimus.

bebat, FORSTERVS filius easdem delineabat, atque FORSTERVS pater se zoologicis descriptionibus dicabat; saepe tamen omnes sibi inuicem opem tulerunt. Nostri igitur hoc libro, TOVRNEFORTIVM, PLVMIERVM et LINNEVM sequuti, characteres nouorum generum delineatos et descriptos tradunt: in quo quidem, recte omnino, etiam systema Linneanum sequuntur. Exhibentur LXXV noua plantarum genera, cum, in quo laudandi sunt Auctores, non, nisi natura postularet, noua genera condiderint: ad quae XCV species pertinent: praeter eas autem circiter CLXX species nouas, ad Linneana genera relatas, et plus quam CC nouas animalium species inuenerunt, quarum descriptiones breui in publicum emissuri sunt. Quo minus enim plura detegerent, temporis, quo in ipsis insulis commorarentur, breuitas, incolarum saepe mala fides, qua botanicos ab interioribus arcerent, atque anni tempora vernalia, autumnalia et hiemalia, quibus vt plurimum in terris appellerent, impedierunt. Orientales insulae in vniuersum non vltra CCCC plantas, quarum magna pars est nota, producunt. In occidentalibus tropicis insulis, ob incolarum mores minus mites, paucas plantas colligere potuerunt. In terris Australibus nihil prorsus est repertum. *Tiera del Fuego* pauciſſimas obtulit plantulas. Capenses plantas THVNBERGIO, qui floram Capensem est editurus, reliquerunt.

Noua plantarum genera, quorum flores horumque partes singulae in tabulis aeneis singulis diligenter sunt sculptae, sunt haec, quae tamen, per instituti rationem vel nominetenus, vel iis, qui nobis singulares visi sunt, characteribus, tantum indicamus, cum vberior character iconum explicatione egeat.

Monan-

Monandr. 2gyn. 1. *Mniarum.* ſpec. 1. *biflorum.*

Diandr. 1gyn. 2. *Anciſtrum*, calyce quatuor ariſtis ſetaceis, ſingula hamis 4 reflexis terminata. ſp. 1. *anſerinaefolium.*

— — 3. *Cyrtandra*, filamentis flexuoſis. ſp. 1. *biflora.* 2. *cymoſa.*

— — 4. *Bankſia*, pericarpio villoſo non dehiſcente. ſpec. 1. *Gnidia.* 2. *tomentoſa.* 3. *proſtrata.*

Triandr. 3gyn. 5. *Donatia*, perianthio triphyllo, petalis 9. ſp. 1. *faſcicularis.*

Tetrandr. 1gyn. 6. *Blakburnia*, perianth. 4dentato, petalis 4. ſp. 1. *pinnata.*

— — 7. *Euodia*, perianth. 4phyllo, petalis 4, ſpathulatis, nectario 4fido, laciniis emarginatis, germinibus 4; ſp. 1. *hortenſis.*

— — 8. *Embothrium*, cal. nullo, petalis 4, *ſtaminiferis*, nectario ſquamoſo baſi piſtilli adnato, germine lineari inflexo; folliculo tereti, ſp. 1. *coccineum*, 2. *umbelliferum.*

p. 17. Pentandr. 1gyn. 9. *Sheffieldia*, perianth. turbinato, 5fido, corolla 1petala ſubcampanulata, filamentis 10, 5 caſtratis, ſemina globoſa affixa receptaculo columnari in medio capſulae. ſp. 1. *repens.*

p. 19. — — 10. *Epacris*, perianth. 5partito, corolla 1petala tubuloſa, nectario e ſquamulis 5 obouatis, apice emarginatis, baſi germinis adpreſſis, ſp. 1. *longifolia.* 2. *iuniperina.* 3. *pumila.*

11. *Bae-*

Pentandr. 1gyn. 11. *Baeobotrys*, perianth. duplici, exteriore diphyllo, inter. 1phyllo, cor. 1petala, tubulosa, 5fida, bacca globosa. cf. *Maesa* FORSKAL. Flor. aegypt. sp. 1. *nemoralis*. p. 21.

— — 12. *Geniostoma*, perianth. 5fido, cor. 1petala tubulosa, fauce villosa barbata. sp. 1. *rupestris*. p. 23.

— — 13. *Dentella*, perianth. 5fido, cor. 1petala tubulosa, laciniis acutis 3*dentatis*, germine infero villoso. sp. 1. *repens*. p. 25.

— — 14. *Lophanthus*, perianth. 1phyllo tubuloso, 5fido, petala 5, spathulata. Proximum genus *Waltheriae*. sp. 1. *tomentosus*. p. 27.

— — 15. *Argophyllum*, perianth. turbinato breui 5fido, petalis 5, lanceolatis, *nectario pyramidali*, e capillis plurimis conniuentibus basi cohaerentibus. sp. 1. *nitidum*. p. 29.

— — 16. *Corynocarpus*, perianth. 5phyllo, foliolis oblongis, petalis 5, nectar. folia 5, basi glandulosa, *nuce turbinatoclauata*, sp. 1. *laeuigata*. p. 31.

— — 17. *Carpodetus*, perianth. turbinato, germini adnato 5dentato, petalis 5, bacca sicca globosa, e margine calicis adnato annulata, sp. 1. *serratus*. p. 33.

— — 18. *Gynopogon*, perianth. 1phyllo, semiquinquefido, cor. 1petala contorta, stigmate villoso, bacca p. 35.

bacca pedicellata, ſp. 1. *ſtellatum*, 2. *ſcandens*.

p. 37. Pentandr. 2gyn. 19. *Melodinus*, perianth. 5partito, cor. 1petala contorta, limbi laciniis falcatis; nectar. in ore tubi ſtellato, bacca carnoſa. ſp. 1. *ſcandens*.

p. 39. — — 20. *Dichondra*, perianth. 5partito, cor. 1petala, ſubcampanulata, capſulis 2, ſubgloboſis, monoſpermis. ſp. 1. *repens*.

p. 41. — — 21. *Gingidium*, (vmbella) inuolucro vniuerſali 6phyllo; fructu ouato truncato, 8ſtriato. ſp. 1. *montanum*.

p. 43. — 5gyn. 22. *Commerſonia*, perianth. 5partito corollifero, petalis 5, linearibus, nectar. 5partito, laciniis lanceolatis, corpuſcula 5, villoſa emittens; germine villoſo, nuce globoſa, 5loculari. ſp. 1. *echinata*. A RVMPHIO *amboin. III. f.* 119. Reſtiaria alba dicitur.

p. 45. — polygyn. 23. *Schefflera*, perianth. 5dentato, germen vmbilicante, perſiſtente, petalis 5, germine globoſo, ſtylis 8 – 10, capſula infera. ſp. 1. *digitata*.

p. 47. 6andr. 1gyn. 24. *Phormium*, calice nullo, petalis 6 adſcendenti obliquis, in tubum conniuentibus, germine triquetro, ſtylo filiformi adſcendente, ſtaminibus breviore, ſp. 1. *tenax*.

6andr.

6andr. 1gyn. 25. *Ripogonum*, perianth. hexa-phyllo, cor. nulla, antheris linearibus, germine globoſo, bacca diſperma. – Genus Smilaci proximum. ſp. 1. *ſcandens.* p. 49.

— — 26. *Gahnia*, Inuolucro 2 - 5floro, vniualui glumaceo, proprio: gluma biualui, cor. biualui, valuula exteriore maiore apice 3dentata, anth. linearibus apice mucronatis, germine oblongo, ſtigmatibus 2. *Gramen.* ſp. 1. *procera.* p. 51.

8andr. 1gyn. 27. *Acronychia*, perianth. 4 dentato, petal. 4, *apice vngue inflexo hamatis:* nectario germini adnato, ſulcis 5 notato, germ. ſubgloboſo, ſp. 1. *laeuis.* p. 53.

— — 28. *Melicope*, perianth. campanulato 4partito, petal. 4. acuminatis patentibus, *nect.* 8*fido*, anther. erect. ſubcordatis, germine ouato, apice 4lobo, ſp. 1. *ternata.* p. 55.

— — 29. *Skinnera*, perianth. 1phyllo, infundibuliformi, colorato; cor. nulla, nectar. 4 ouato lanceolatis, anth. orbiculatis, germ. oblongo, ſtigm. globoſo tuberculato, ſp. 1. *excorticata.* p. 57.

— 2gyn. 30. *Codia*, cal. communi et proprio 4phyllo, petal. 8, tenuiſſimis: anther. ſubrotundis: germine villoſo, tetraſpermo, ſtylis ſubulatis piloſis, ſp. 1. *montana.* p. 59.

8andr.

p. 61. 8andr. 4gyn. 31. *Haloragis*, perianth. ſupero 4fido, perſiſtente, petalis 4; germine ſubgloboſo, ſtigmatibus truncatis papuloſis, nuce oſſea 4loculari, ſp. 1. *proſtrata.*

— 5gyn. 32. *Polyſcias:* vmbella prolifera, petala 6 - 8, germine calice marginato, ſtigmatibus breviſſimis, bacca globoſa, ſp. 1. *pinnata.*

p. 65. 10andr. 1gyn. 33. *Inocarpus:* perianth. 1phyllum, bifidum; cor. 1petala tubuloſa, limbo 5partito; germ. oblongum villoſum; drupa ouata continens nucem fibris lignoſis intertextis conſtantem, ſp. 1. *edulis.*

p. 67. 12andr. 1gyn. 34. *Pemphis*, perianth. perſiſt. 1phyllo, 12fido; petalis 6 obouatis; filamentis alternis brevioribus, germinis globoſi ſtigmate capitato; capſula 6valui, farcta, ſp. 1. *acidula.*

— 3gyn. 35. *Tacca*, perianth. ſupero 6phyllo, petal. 6, calice tectis cucullatis, antheris oblongis, retrorſum arcuatis, ſtigmatibus bilobis obcordatis, bacca ſicca ouata, ſp. 1. *pinnatifida* vid. RVMPH. amb. V. t. 112. et 114.

20andr. 1gyn. 36. *Leptoſpermum*, perianth. turbinato, germini adnato, pet. 5. orbiculatis, germine infero, capſula turbinata, ſem. linearibus minutis, ſp. 7. inter quae etiam

etiam *Melaleuca Leucadendra* LINN.

20andr. 1gyn.	37.	*Decaſpermum*, perianth. turb. germini adnato, pet. 5, ſubrotundis, ſtylo cylindrico, ſtigmate depreſſo. Pericarpio 10ſulcato et 10loculari, in quolibet loculo ſemen vnum ouatum. ſp. 1. *fruticoſum.*		
Polyandr. 1gyn.	38.	*Barringtonia*, perianth. 2phyllo, ſupero, petalis 4, ouatis, coriaceis, nectar. conico tubuloſo; filamentis longiſſimis, ſtylo filiformi, longitudine ſtaminum, drupa ouata, calice coronata, nuce oſſea. Sp. 1. *ſpecioſa.* Butonica RVMPH. amb. III. t. 114.		
— —	39.	*Mallococca*, perianth. 5phyllo, petalis 5, germine et drupa 4cocca villoſis, ſp. 1. *crenata.*	p.	77.
— —	40.	*Dicera*, perianth. 4 ſ. 5partito, petalis 4 ſ. 5. obouatis, trifidis, nectario e corpuſculis 4 ſ. 5. emarginatis, antheris bicornibus, ſpec. 2. *dentata* et *ſerrata.*	p.	79.
3gyn.	41.	*Euryandra*, perianth. 5phyllo, pet. 3. filamentis apice dilatatis anther. didymis, germ. 3, ouatis, ſp. 1. *ſcandens.*	p.	81.
4gyn.	42.	*Drimys*, perianth. 1phyllo, dehiſcente; pet. 6, ouatis; filam. apice craſſioribus, anther. didymis, lobis ſummo apice cohaerentibus; ſtigmatibus plano depreſſis germinibus adnatis,	p.	83.

natis, baccis 4. ſpec. 2. *Winteri* et *axillaris*.

p. 85. 1adelph.polyand. 43. *Plagianthus*, perianth. breui 5fido, pet. 5, ouatis, duobus magis approximatis; anth. 12, ſtigmate clauato. ſp. 1. *diuaricatus*.

p. 87. — — 44. *Groſſoſtylis*, perianth. turbinato 4angulari, pet. 4. ellipticis, nect. corpuſculis filiformibus, ciliatis 20. germine conuexo, ſtigmate coronato, bacca hemiſphaerica, multiſtriata, ſemin. plurimis in recept. columnari poſitis, ſp. 1. *biflora*.

p. 89. Syng. polyg. aequ. 45. *Adenoſtemma*, ſeminibus cylindricis longis papuloſis; pappo e glandulis 3. pedicellatis, ſp. 1. *viſcoſa*.

p. 91. Syng. polyg. ſuperfl. 46. *Brachyglottis*, corollulis femineis tubuloſis ligulatis, ligula breuiſſima; ſeminum pappo denſo plumoſo, ſp. 2. *repanda* et *rotundifolia*.

p. 93. — polyg. ſegreg. 47. *Laxmannia*, perianth. proprio membranaceo, apice bidentato, ſeminum pappo nullo, receptac. paleaceo, ſp. 1. *arborea*.

p. 95. — monogam. 48. *Shawia*, perianth. imbricato, cylindrico, corolla infundibuliformi, ſeminis pappo piloſo, ſp. 1. *paniculata*.

p. 97. Gynandr. diandr. 49. *Thelymitra*, ſpath. lanceolatis, vniualuibus, pet. 6, ouato lanceolatis, nectario 1phyllo, 2labiato, labio ſuperiore truncato,

to, inferiore trifido, lacinia media cucullata, antheras et germen obtegente, ſp. 1. *longifolia.*

Monoec. 1andr. 50. *Balanophora*, flores maſculi ad baſin capituli duplici ordine, petalis 4, anthera oblongo ouata; flores feminei innumeri, germine minutiſſimo, monoſpermo, ſp. 1. *fungoſa.* p. 99.

— — 51. *Artocarpus*, fl. maſc. ſpadice ſimplici clauato nudo, perianth. proprio minimo membranaceo, anthera erecta, oblonga. fl. fem. ſpathis biualuibus, ſpadice ouato, germinibus plurimis connatis tecto, germ. cuneato, ſtigmate puncto prominulo marceſcente, fructu ouato globoſo, farinaceo, quo panis loco vtuntur incolae terrarum auſtralium, ſp. 1. *communis.* p. 101.

— — 52. *Caſuarina*, ſp. 1. *equiſetifolia*, eſt eadem cum *Caſuarina littorea* RVMPH. amb. III. t. 57. p. 103.

— 5and. 53. *Elatoſtema:* fl. maſc. cor. 5partita, filam. 5, ſe exſiliendo erigentia, anth. cordato didymae: fl. femin. cal. et cor. nulla, germ. minimum, ſtigmata tria, bifida: rec. abit in baccam globoſam, ſp. 2. *pedunculatum* et *ſeſſile.* p. 105.

— 6and. 54. *Epibaterium:* fl. maſc. perianth. duplex deciduum, exterius 6phyllum, inter. 3phyllum, exteriore triplo maius, petala 6; antherae ſubrotundae. Fl. femin. cal. et cor. vt in maſculis: germina 3 ſubgloboſa, p. 107.

ſtyli 3 incurui; drupae 3, monoſpermae, nux reniformis, ſp. 1. *pendulum*.

p. 109. Monoec. 6and. 55. *Pometia*, fl. maſc. perianth. 1phyll. 6fidum, rotatum, pet. 6, orbiculata, nectarium eleuatum, torulis 6 notatum, antherae parabolicae: fl. fem. cal. cor. vt in mare; germen obcordato didymum, ſtyl. filiformis, bacca globoſa, monoſperma. Forte ad Polygamiam pertinet, ſp. 1. *pinnata*, cf. Palorum arbor alba latifolia RVMPH. amb. III t. 65.

p. 111. — adelphia. 56. *Aleurites:* fl. maſc. perianth. 3fidum, breuiſſimum, pet. 5. oblonga, nectar. ſquamae 5 ſubangulatae breuiſſimae ad baſ. petalorum; filam. numeroſa connata in receptac. conicum columnare: fl. femin. partes vt in mare, at germen conicum ſuperum, ſtigmata 2, bacca magna globoſa dicocca, ſp. 1. *triloba*.

p. 113. — ſyngen. 57. *Glochidion:* fl. maſc. petal. 6 ouata; filamenta 3, minutiſſima, anthera cylindrica cuſpidata: fl. fem. corolla 6partita, lacin. 3 interioribus; germ. globoſo - 6ſulcatum, ſtigmata 6 - 8; capſula depreſſa. ſp. 1. *ramiflorum*.

p. 115. Dioec. 1and. 58. *Phyllachne:* fl. maſc. perianth. 3phyllum, foliolis minutis ſubulatis; cor 1petala tubuloſa; filamentum 1, baſi vtrinque glandula notatum, anth. ſubgloboſa 3ſulca. fl. fem. cal. et cor. vt in mare; germ. turbinatum, ſtylus capillaris, baſi vtrin-

vtrinque glandula notatus, ſtigma ſubcapitatum. ſp. 1. *vliginoſa.*

Dioec. 1and. 59. *Aſcarina:* fl. maſc. ament. filiformi, perianth. ſquamula breuiſſima; anthera oblonga recurua 4ſulca. fl. fem. germ. globoſum, ſtigma planum, germini adnatum, ſp. 1. *polyſtachya.* p. 117.

— 3andr. 60. *Meryta:* fl. maſc. aggregati; perianth. tripartitum, fil. capillaria longitudine calycis, antherae oblongae. Flores feminei nondum reperti, ſp. 1. *lanceolata.* p. 119.

— — 61. *Maba,* (nomen huic plantae ab incolis inſull. Tongatabu et Namoka impoſitum): fl. maſc. perianth. 3fidum, villoſum; cor. 1petala, villoſa, limbo 3fido. piſt. rudimentum globoſum ſubſeſſile in centro floris. In Fl. femin. drupam biloculárem, nuces duas triquetras continentem viderunt, ſp. 1. *elliptica.* p. 121.

— 5andr. 62. *Melicytus:* fl. maſc. perianth. 5dentatum, pet. 5 ouata; *nect. corpuſcula* 5 *clauata, cyathiformia.* anth. 5, ouato ſubrotundae ſeſſiles in nectarii latere interiore: fl. fem. germen. ouato globoſum, ſtigma 4lobum ſtellatum, ſp. 1. *ramiflorus.* p. 123.

— polyand. 63. *Myroxylon:* fl. maſc. perianth. 4 ſ. 5partitum; nectar. minimum, annulare, ſtamina cingens: fl. femin. germ. ouato globoſum, ſtigma obtuſum. Sp. 2. *ſuaueolens* et *orbiculatum.* Incolae hoc ligno oleum p. 125.

cocos nuciferae odore fragante inficiunt, eoque capillos inungunt.

p. 127. — polyand. 64. *Hedycarya:* fl. masc. perianth. 1phyllum, plano rotatum, 8 - 10fidum: antherae 50 oblongae, sessiles: fl. fem. germina 6 - 10 pedicellata, hinc totidem nuces subosseae 1spermae, sp. 1. *arborea.* Nuces huius arboris sunt admodum dulces.

p. 129. Pol. monoec. 65. *Thryocephalon:* fl. hermaphr. in *spicula* 3 - 4flora; cal. vniualuis, gluma oblonga; stamina 3; germ. subrotundum, styli 2 filiformes; sem. solitarium. Fl. femineus sessilis ad basin et ex opposito hermaphroditis; caeterum similis, sp. 1. *nemorale.*

p. 131. — — 66. *Aporetica,* (genus adhuc dubium): stamina 8; germina 2, pedicellata monosperma. Flores hermaphroditi et masculi.

p. 133. Polyg. dioec. 67. *Pennantia:* fl. hermaphr. pet. 5 lanceolata; filam. 5, anth. oblongae incumbentes, germ. obtuse trigonum, biloculare, sem. solitaria. Fl. masc. vt in hermaphrodito, sp. 1. *corymbosa.*

p. 135. — — 68. *Aciphilla*: fl. hermaphr. *vmbellati:* inuolucr. vniuersale et partiale 5phyllum, anth. didymae, semina 2, oblonga, hinc plana, inde subtrigona. fl. masc. similes, at antherae ouatae, sp. 1: *squarrosa.*

p. 137. — — 69. *Coprosma*, (a foetido odore): fl. hermaphr. perianth. breuissimum, persi-

perſiſtens. cor. 1petala, turbinato-campanulata, 5fida; filam. 5–7. anth. oblongo lineares, baſi bifidae; germ. oblongum, ſtyli 2 filiformes; bacca ouato globoſa, diſperma. fl. maſc. vt hermaphroditi, ſp. 2. *foetidiſſima* et *lucida*.

Polyg. dioec. 70. *Scopolia:* fl. hermaphr. perianth. ſuperum quinquedentatum, (cor. et ſtam. iam decidua), germ. oblongum, ſtyli 3, cylindrici, breuiſſimi. fl. maſc. petala 5, filam. 5, anth. ſubrotundae. ſp. 1. *lucida* *). p. 139.

— — 71. *Ceodes:* fl. maſc. cor. 1petala, 5fida; filamenta 10, alterna minora, antherae ſubrotundae; ſtylus filiformis, ſtigma dilatatum. Fl. hermaphroditi non innotuere. p. 141.

— — 72. *Melistaurum*, fl. hermaphr. cor. 5partita, nectar. campanulatum, truncatum; ſtamina 20 nectarii margini inſerta, alterna caſtrata; germ. craſſiuſculum, ſtylus cylindricus, ſtigma obtuſum. Fl. maſculi non viſi ſunt. p. 143.

— trioec. 73. *Breynia:* perianth. 1phyllum turbinatum, antherae lineares ſtylo adnatae; germ. minimum, ſtyius cylindricus, ſtigma obtuſum; bacca ſicca, globoſa: fl. maſc. perianth. 5partitum; nectar. glandulae 5 ſubpedicellatae, anther. ſubrotundae: fl. fem. germ. globoſum; ſtigmata p. 145.

*) Notamus, hanc iam tertiam eſſe plantam, quae a Celeb. SCOPOLI nomen accepit: a LINNEO enim *Ricotia aegyptiaca*, et a IACQVINIO *Hyoſcyamus Scopolia*, iuxta eundem dictae ſunt.

gmata 5 obcordata petaloidea, ſeſſilia. ſp. 1. *diſticha.*

Crypt. Algae. 74. *Aytonia.* Maſc. flor. innati ſcrobiculo frondis; antherae plures ſubulatae erectae, longae, inſiſtentes receptaculo hemiſphaerico concauo: fl. fem. cal. filamenta ſubulata, germen ſubgloboſum ambientia; ſemina minima. ſp. 1. *ruppeſtris.*

Palmae. 75. *Athrodactylis.* fl. maſc. ſpathae alternae, ſeſſiles, ſerrato ſpinoſae: ſpadix thyrſus decompoſitus. filam. breuiſſima, plurima, ramificationibus ſpadicis inſidentia; anth. oblongae, acutae: fl. femin. in diuerſa arbore. ſpathae 4, terminales, conniuentes; ſpadix globoſus, germinibus numeroſis cuneiformibus tectus; drupae farinaceae monoſpermae. ſp. 1. *Spinoſa.* Eſt *Bromelia ſylveſtris* LINN. *Keura* FORSKÄL. *Kaida* et *Pandanus* RVMPH. H. Malab. p. II. t. 1-8.

IV.

Spicilegia Zoologica, quibus nouae imprimis et obſcurae animalium ſpecies iconibus, deſcriptionibus atque commentariis illuſtrantur. cura P. S. PALLAS. Faſciculus X. Berolini, proſtant apud Gottl. Aug. Lange. 1774. 7 plagg. in 4. tabb. aen. IV. Faſciculus XI. ibid. proſt. apud Chriſt. Frider. Voss. 1776. 10 ½ plagg. tabb. aen. V. Faſc. XII. ibid. 1776. 9 plagg. tabb. aen. III. Faſc. XIII. ibid. 1779. tabb. aen. III. Faſc. XIV. ibid. apud Ioachim. Pauli. 1780. 12 plagg. tabb. aen. IV.

Retardatae notatu digniſſimi libri, cuius haud ita pridem a Cl. Auctore participes facti ſumus, commemorationi veniam dabunt Lectores, quum eos ſimul nouiſſima eiusdem parte remuneremur.

Faſciculus decimus, qui ſimul *Tomum primum* finit, ideoque indice rerum in faſciculis his prioribus decem contentarum inſtructus eſt, continet nouarum ſpecierum ex Vermium claſſe hiſtoriam, deſcriptiones et icones. Dabimus nomina et notatu digniores proprietates.

E *Lumbrici* genere nouae ſpecies ſunt, *L. echiurus**), *L. thalaſſema*, *L. edulis*, *L. Phalloides*, et *L. oxyurus*. Prior ſpecies in littore Belgico frequentiſſima p. 3. pro ineſcandis hamis ad capturam *Gadi Morrhuae* adhibetur. Lumbricus edulis in Indiis pro ipſo p. 10. hominum cibo vſitatur. Generatim *Sipunculos* LINN. a natura in vnum genus cum Lumbricis coniunctos eſſe putat: atque *Sipunculum ſaccatum*

*) Miſcell. zoolog. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 238.

LINN. dubiam esse speciem, atque forte eius epidermidem, in spirituoso liquore secedentem, speciem inuolucri praebuisse.

p. 17. Ad *Fasciolae* genus pertinent *F. ventricosa*, ex *Amboina*, *quadrangularis*, in fossis prope Hagam Comitum, *F. fusca*, et *F. punctata* in aquis stagnan-
p. 19. tibus Europaeis, habitantes. Quum *Limacem lanceolarem*, quae tentaculis careat, describit, simul monet sub Limacum genere comprehendenda esse animalcula mollusca, quae plano carnoso incedunt, siue illud latum atque planum, vt in *Limacibus*, *Doride*, *Aplysia*; siue sulcatum sit, vt in *Scillaea* LINN.
p. 24. Reliqua mollusca sunt *Ascidia mammillaris*, et *clauata*, quam LINNEVS ad *Vorticellas* *) reduxit, quae tamen diuersa est ab Ascidia clauata O. F. MÜLLERI **), *Holothurium zonarium*, ex Antigua insula missum, *Clione Borealis* LINN. et *Medusa fron-*
p. 26. *dosa*, quae in Archipelago Caribaeo habitat. *Holothuriorum* genus in systematis edit. XII. a LINNEO miro modo compilatum et a natura alienum factum esse putat: etenim *Holothurii frondosi*, *Phantapodis*, *Hydrae* BOHADSCHII, atque *Holothurii pentactis* affinitatem cum Actiniis maximam esse.

Sequuntur Testacea, et primum *Echinus calamaris* et *minutus* ***): tum cochleae, nempe *Harpa nobilis*, *Buccinum monodon*, *Turbo principalis* et *Helix Lyo-*
p. 34. *netianus*. *Zoophyta* denique, a IOSEPHO GAERTNERO in Cornubiensi littore ad Pensantiam collecta et delineata, cum nouitate et praestantia commendentur, communicat Cl. Auctor. Hic cum simul diu promissae Iconographiae Zoophytorum, interueniente itinere retardatae, mentionem faciat: speramus, fore, vt Cl. Auctor, itinere finito feliciter, nunc promissa sua impleat. Sunt vero ipsa Zoophyta haec:

*) *Voluta ouifera* Syst. nat. I. p. 1319.
**) Zool. Dan. prodr. p. 226. s. *Vorticella Bolteni* LINN.
***) cf. comm. nostr. Vol. XXII. p. 714. et 719.

haec: 1) *Botryllus ſtellatus* GAERTN. ſ. *Alcyonium* SCHLOSSERI. 2) *Botryllus conglomeratus.* Huius noui generis natura et incrementum oſtendit, ſingulam eiusdem ſtellam non vnum eſſe floſculum ſ. vnum caput, ſed polypum quaſi multicipitem et ſubnaſcentibus continuo nouis capitibus pullulantem. 3) *Diſtomus varioloſus* GAERTN. ſ. Alcyonium aſcidioides, nouam indicat et perficit affinitatis ſeriem inter zoophyta et teſtacea biualuia, per *Aſcidia* BASTERI ſ. Priapos, quos GAERTNERVS ad *Diſtomos* reduxit, quique ſunt quaſi *Biualuia teſtis exempta, branchiis lamellaceis orbata* et baſi rupibus adnata. Quaedam ex his, vti BOHADSCH et Cl. PALLAS obſeruauit, aggregata naſcuntur, aut e radice potius prolifera eſſe videntur, eoque ad Zoophytorum leges accedunt. 4) *Coryne puſilla* GAERTN. ſ. *Tubularia Coryne*, quam Cl. PALLAS vix a Tubulariis genere diſtingui debere arbitratur, quamuis caput cum tentaculis intra tubum retrahere nequeat. Adiecta eſt denique *Brachioni cernui*, marini, icon. Praeterire cogimur plura lectu digniſſima.

In faſciculo vndecimo iterum ad Mammalia regreditur Cl Auctor, atque *Ouis ferae Sibiricae*, vulgo *Argali* dictae, *Ibicis alpium Sibiricarum*, *ouium* domeſticarum *Aſiaticarum* hiſtorias, deſcriptiones, anatomen et icones tradit: quae quidem omnia tot atque tam egregiis obſeruationibus, quibus multi magnorum virorum errores corriguntur, multaque noua docentur, abundant, vt, niſi omnia tranſcriberemus, pauciſſima tantum deligere poſſimus. Faſc. XI.

Primus eſt Cl. Auctor, qui canes noſtros domeſticos ex *Lupo aureo* ortos, ex huius ſimilitudine cum illis docuit: etenim hunc ferum non ſolum forma eſſe *Cani villatico* ſimillimum, ſed et homini eſſe amicum, in venationem pronum, canes familiares appetentem, iisque inclinationibus et moribus ſimilli-

ſimillimum. Camelos etiam feros in vaſtiſſimis Aſiae temperatae deſertis vagari affirmat contra BVFFONIVM *). *Equorum ferorum* et *Onagrorum* greges Africae atque Aſiae deſerta alunt. *Tarandum* etiam alpes frigidae Sibiriae ferum habent.

p. 6. Lanigeri pecoris ortum inter recentiores dim incertum BVFFONIVS primum a *Muſmone* derivauit, docuitque rectiſſime hunc cum Oue cicure

p. 8. eſſe vnum idemque animal. Cum hoc Muſmone *Argalin* Sibiricam **) omnino conuenire, atque ideo *Capram Ammonem* LINN. cum Oue in vnam ſpeciem eſſe iungendam. Cum tamen *Argalis* a *Muſmone* non ſola magnitudine, ſed et ſecundum aetatem regiones, annique tempora differat, GMELINI deſcriptio manca ſit, atque multa noua circa venationem, vſum, moresque animantis addi potuerint, haec omnia Cl. Auctor propoſuit. Deinde de antiquitate domeſticorum animalium credit, ſerioni globi noſtri aetate per populos circa alpes Europae et Aſiae venatoriam vitam agentes, capras et oues primum cicuratas et multiplicatas fuiſſe. Potuit hoc ſimul variis in regionibus accidiſſe: potuere cicurati ab Hiſpanis atque Caucaſi vel Tauri accolis Muſmones nobiliorem nunc lanis ſtirpem produxiſſe *ouium longicaudarum:* potuit Argalis cicurata parens fuiſſe maximarum ouium, quas pinguedinis mole loco caudae inſtructas Nomades Aſiae hodie paſcunt. Subiungit his Cl. Auctor barbara Argalidis nomina, de Auctoribus, qui ante eum de animali egerunt, iudicium, deſcriptionem et anatomen.

p. 32. Ibices, qui in Sibiria nec MESSERSCHMIDIO, nec GMELINO innotuerunt, ad Noſtrum, multis fruſtra tentatis, tandem per Tartaros delati, ſumma

niualia

*) vid. Hiſtor. natur. Vol. XI. XII. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 188.

**) cf. GMELINI *Reiſen durch Siberien.* Vol. I. p. 368. ſq.

niualia altiſſimorum montium cacumina in temperatiore Europa et Aſia incolunt, illicque ſpeciem propagarunt. BVFFONIVM ex falſo axiomate: animalia, quae foecundo miſcentur coitu, foecundamque gignant prolem ſpecie conuenire, perperam collegiſſe capras noſtras ab Ibice ortum duxiſſe exiſtimat; atque igitur hic docet *Ibicem* et *Rupicapram* diſtinctiſſimas, nec vnquam, niſi artificio humano, confundendas eſſe ſpecies, deinde *Ibicem*, licet maxime affinem, ab *Hirco domeſtico* diſtinguendum, huiusque ſtirpem a diuerſa caprarum ferarum ſpecie deriuandum eſſe. Hic ſimul refert Cl. Auctor, ſe vidiſſe lepores cicuratos cum canibus coire, *Phaſianum* congreſſu foecundo inire *Gallinas*: absque arte *Anſerem Cygnoidem* cum vulgari copulari et lubenter procreationi hybridae incumbere: *Anatem moſchatam* et *Sponſam* cum *Boſchade* coire ſucceſſu foecundo. Quae quidem exempla ſupra dictum axioma ſola iam abunde refellunt. Differt autem *Muſmon* ab *Ibice* ſitu cornuum in cranio et circumſcriptione baſeos, forma triquetra, ſuperficie rugis vndulata, arcu breuiore, ſubſtantia flaueſcente, forma cranii fronte praeſertim lata et plana. In Ibice contra eſt ſima et compreſſa facies, dentes, totiusque ſceleti proportiones, et numerus vertebrarum differt, pedes multo breuiores et rigidiores et vngularum tandem forma diuiſuraque diuerſae, pori inter phalanges in ouibus notabiles: adde aruncum, cuius in *Muſmone* nullum eſt veſtigium, tandem ſinus lachrymales in Muſmone et oue inſignes, Ibici plane denegatos, et deficientia antra inguinalia nuda, quae oues a capris diſtinguunt. Docte et grauiter BVFFONIVM refutat, qui *Rupicapram* cum *Ibice* coniungat: etenim toto coelo differre a *Muſmone* et *Ibice* Rupicapram. Denique docet Capriceruam KÄMPFERI, et Paſeng Perſarum eſſe

p. 34.

p. 38.

p. 43.

eſſe *Capram feram*, quam *Aegagrum* appellat, atque
p. 45. ab hac Capras domeſticas ortas videri. Aegagri igitur, qui Ibice minor, Hirco domeſtico vero maior eſt, caput eſt caprinum, aruncus inſignis, totumque corpus griſeo vel cinereo rufeſcente pilo veſtitum. Cl. Auctor his cranii cum cornibus deſcriptionem
p. 48. et iconem ſuperaddit. Cum deinde experimentis conſtet, Ibicem lubentiſſime Capras domeſticas inire, veroſimile Cl. Auctori videtur, Capras priuas maximam partem eſſe progeniem hybridam ab antiquiſſimis inde temporibus ex Aegagro et Ibice imo et tertia forte quadam Caucaſica ſpecie, cicuratis generatam, varieque mixtam et temperatam, quae tamen prioris parentis characteres altius impreſſos ſeruauit tenacius.

p. 59. Oues, quas LINNEVS, BRISSONIVS, aliique pro ſpeciebus habuerunt, recte ad varietates retuliſſe BVFFONIVM denique tradit, quae quidem ex gregibus ouium Aſiaticarum luculenter demonſtrentur. Etenim 4 varietates in borealiori Aſia occurrere: primam *dolichuram* ſ. *longicaudam*, Europaeis, maxime Hiſpaniae et Angliae gregibus forma ſimilem eſſe, et per auſtraliores ipſius Ruſſiae regiones *Tſcherkeſſicae* nomine notam, frequenter coli: alteram, *brachyuram* omnem Ruſſiam borealem occupare, Islandicis et ſeptentrionalibus ouibus ſtatura, breuitate caudae, rudique lana comparabilem, proprie *Ruſſicam* dici; tertiam, quam *ſteatopygem* ſ. pinguiclunem dicit, magnitudine cunctis praeſtantiorem, apud paſtorales populos Aſiae abundare atque pinguedinis glomerem loco caudae gerere; *quartam* cultura, climate et priorum mixtis connubiis apud Bucharos et Perſas natam eſſe, eamque ideo *mixtam* dicit.

p. 67. De origine pinguedinis in oue ſteatopyge, loco caudae haec habet. In genere eas corporis partes,

partes, in quibus lentior ſanguinis circulus obtinet, vt circa renes, in meſenterio, etc. collectioni pinguedinis in textu celluloſo maxime fauere: praeſertim in ouillo pecore naturali niſu quaſi adipoſas particulas in poſteriora circa renes atque vropygium deponi ſic, vt ad renes concreſcat ſebum durius, circa caudam vero pinguedo confluat mollior, tenuior, fere butyracea. Atque hanc ſemel circa caudam collectam pinguedinem veluti genialem morbum per generationes ſenſim adauctam fuiſſe, ipſamque extremam caudae partem a ſuperabundante circa eiusdem baſin adipis colluuie abſumtam vel intercluſam articulatim periiſſe. Supereſt igitur loco caudae in *ouibus ſteatopygis* tantum coccyx trium quatuorue vertebrarum, quarum proceſſus tranſuerſi apice quaſi colliquati ſunt, et extremae corpus apice craſſo, veluti abrupto et ſubcapitato terminatur. In huius rei confirmationem alias varietates ex haereditario vitio ortas commemorat, e. g. ouis, tubere dorſali inſignis, Perſicae; canis Indici nudi et ecaudati, equi cantherii, cui in ſuperiori labro ſub ipſis naribus verruca magna ſetifera prominebat. Sic etiam propagari cornuum vitia, difformitates, luxuriam quoad numerum, cuius plura commemorat et depicta tradit exempla. Caeterum *ouis ſteatopyga*, vt carnium adipisque quantitate omne pecus ſuperat, ita reſpectu velleris omnium peſſima eſt. In huius varietatis ventriculis frequentes quoque ſunt pilae, quae plerumque lana camelina griſea tenerrima conſtant, quae plantis ſalſuginoſis adhaerent et ab ouibus deglutiuntur. Subiuncta denique eſt deſcriptio et icon *Arietis Kirgiſici*, vt et icon capitis *Apri Aethiopici* in Spicilegiorum faſciculo II. deſcripti.

p. 72.

p. 77.

p. 80.

Faſcicu-

Faſcic. XII. Faſciculus duodecimus continet ea, quae Cl. Auctor ad hiſtoriam *Antiloparum*, in faſciculo I. horum Spicilegiorum traditam, intra decennium fere corrigenda perſpexit vel addenda collegit. In his igitur nomina triuialia trium ſpecierum mutari vult: nempe

Antilope ſcythica Spicil. F. I. p. 9. dicenda *A. Saïga.*
— — *bezoartica* ibid. p. 14. — *A. Oryx.*
— — *Oryx* ibid. p. 16. — *A. Oreas.*

p. 5. Deinde perſtringit et complet quarundam ſpe-
p. 12. cierum ſynonymiam et hiſtoriam, cui ſubiungit nouam et ad praemiſſas obſeruationes caſtigatam *Antilopum* ſeriem, earundemque plenam ſynonymiam: Sunt igitur viginti duae nunc Cl. Auctori ſpecies Antiloparum, quarum ſequentes nondum in Faſciculo I. continentur:

Antilope Lervia (*le Kob* BVFF. H. N. XII.) cornibus recuruis, rugoſis, corpore rufeſcente, nucha barbata.

p. 14. *Ant. picta* (*A. leucopoda* PENN. Syn. ſp. 21. tab. VI.) cornibus antrorſum incuruis, ceruice colloque iubatis, cauda longa floccoſa, pedibus albo nigroque annulatis.

Ant. gutturoſa, cornibus lyratis, corpore rufeſcente, ſcopis genuum nullis.

p. 17. *Ant. Gazella*, cornibus ſubulatis ſubarcuatis rugoſis.

Ant. Leucoryx, cornibus ſubulatis rectis, conuexe annulatis, corpore lacteo.

Ant. pygmaea cornibus conicis, breuibus conuexis, baſi rugoſis.

p. 21. Sequitur *Antilopes Saïgae, gutturoſae, Orygis et Strepſicerotis* hiſtoria, deſcriptio, anatome; atque duarum priorum icones traduntur. Pauca tantum delibabimus.

Saigae

Saïgae raro ſolitariae incedunt: in cicuratis p. 25.
hoedis obſeruauit Noſter non omnes ſimul cubare, ſed aliquos obambulare et paſci, dum quieſcunt plerique: ex his autem, quaſi vigilias agentibus, nullus ad quietem componebatur, niſi accedens ad cubantium aliquem, ſingularique paſſuum et capitis geſtu voluntatem quaſi indicans: ſurgebat tunc impigre, qui decubuerat, inque locum eius ſubſidebat alter, quaſi vigiliis ſe liberatum ſentiens. In deſertis itidem, *Saïgis* plurimis cubantibus, aliquas tamen obambulantes obſeruauit. Hanc prouidentiam his animalibus ſumme eſſe neceſſariam; eſſe enim imbelles *Saïgas*, male videre, et licet leviſſimae ſint ad fugam et velociſſimae, citiſſime tamen defatigari, et leuiſſimo vulnere perire. E contrario odoris organa praeſtantiſſima acceperunt, vt ſecundo vento hoſtes ad ſtadii interuallum facile percipiant. *Saïgarum* mares, tempore oeſtri, quod p. 28.
in finem Nouembris ſ. initium Decembris cadit, pro feminis pugnant. Haec ſpecies Laruis *Oeſtri* co- p. 31.
pioſe infeſtatur: et in vnius omento rumen obuolvente Noſter Hydatides inuenit viuas. Singulari p. 35.
etiam inconſtantiae cornuum *Saïga* eſt obnoxia: reperiuntur *tricornes*, et *vnicornes*, vt igitur omnis de *Monocerote* veterum fabula ab obſeruata varietate vnicorni *A. Saïgae*, *Orygis*, *Leucorygis* aut *Gazellae* primum ortum habuit.

Ex *Antilopes gutturoſae* hiſtoria notemus, MES- p. 49.
SERSCHMIDIVM non ſine cauſa eam *hydrophobon* cognominaſſe, non enim, niſi ſi vitae periculum adſit, timore perterrita in flumina ſilit; per GMELINVM igitur ſeductus PENNANTVS errauit, qui eam flumina amare perhibuit. A laryngis maximi p. 59.
ſtructura, cum cartilaginis thyroideae carina ſuperius tubere conuexo gibba ſit, pendet gutturoſae nomen. Praeditus eſt caeterum larynx etiam *epi-*

glottide maxima, quam deficere GMELINVS (v. com. Petrop. V. p. 349.) perperam dixit.

Faſcic. XIII. p. 3. *Moſchi* hiſtoria naturalis deſcriptio et anatome *Moſchi Sibirici* faſciculo decimo tertio a Cl. Auctore, adiectis iconibus huius partiumque ex eodem internarum, traduntur. Et primo quidem Auctorum, qui de animali egerunt et materiae odoratae naturam et ortum explicare aggreſſi ſunt, locos p. 14. ordine chronico ab AVICENNA ad GMELINVM recenſet: deinde ea refert, quae Ipſi de moſchifero animali conſtant. Patria *Moſchi* ſunt maxima orientalis Aſiae alpina iuga, ex iis vſque in Chinam et Sibiriam orientalem ſpeciem extendit: in his regio- p. 16. nibus Moſchus maxime ſequitur rupeſtria praerupta, ſubſolitarie vagatur, et autumno tantum turmatim ad migrationem et oeſtri cauſa colligitur. Noctiuagus eſſe videtur. Caeterum ſaltu curſuque agiliſſimum, timidiſſimumque animal, educatum etiam feritatem non exuens; victum capit e lichenibus capillaceis, tum et ex radicibus plantarum filiformibus, foliis Arbuti, Rhododendri dauurici et Vitis idaeae. Dentibus caninis exſertis magis armorum loco, quam ad radices exſcindendas vti videtur Cl. Auctori. Tempus oeſtri in initia hiemis, pariendi non certo, venatorum teſtimonio autem in Maium, vel Iunium cadit. *Hinnulis* nondum anniculis vellus hibernum dilutius fuſcum, quam ſenioribus eſt, maculis fulueſcentibus per latera trunci inordinatis: iique *Hippoboſcis*, *ouinae* fere ſimilibus, abdomini et circa inguina adhaeren- p. 19. tibus infeſtantur. Annoſiora animalia hieme tota plerumque fuſco nigreſcunt, praeter albas ſub collo faſcias. Aeſtiuum vellus Cl. Auctor a venatoribus ſolum accepit e griſeo rufeſcens, maculaeque iuniorum tunc palleſcunt. In genere colore variare aliis

aliis etiam in regionibus, annoſiora animalia ſemper eſſe albida. Praeterimus venationem et nomina animalis barbara. Caro iunioris animalis eſt ſapida p. 21.
et tenerrima: pellis plus carnibus in vſum vertitur.

Folliculum moſchiferum Cl. Auctor in anato- p. 22.
micis omni cura expoſuit iconibusque illuſtrauit atque hic commemorat animalia ſubſimili quoad folliculum ſtructura praedita: ſunt ea Antilope gutturoſa, e Glirium ordine plures, praeſertim, vt conſtat inter omnes, Caſtor. Similis ceruminoſae materiae intra cutaneos folliculos ſecretio in ſaccis lacrymalibus Ruminantium, vt Cerui, deprehenditur: ſubanalogus etiam eſt ſinus odoriferus Hyaenae et Melis. Folliculi autem anales foetidiſſimi Muſtelarum, et glandulae follicularis in Sorice moſchato illis haud ſunt ſimiles.
Moſchiferae materiae in Moſcho Sibirico neque p. 23.
ſecundum aetatem, nec variis anni periodis, ne oeſtri quidem tempore, vel fragrantia, vel conſiſtentia mutatio contingit. Vſum eiusdem in animale p. 24.
ad irritandum congreſſum poni, atque cauſſam, cur Tibetanus Moſchus Sibiricum ſuperet, in climate calidiori, plantisque reſina odorata ſcatentibus, quibus auſtraliores Moſchi paſcuntur, quaerendam eſſe cenſet. Odor moſchi Sibirici Caſtoreo eſt ſimilior, et in Rufficis, imo et aliarum regionum pharmacopoliis in vſu eſſe coepit, pro vili, quo conſtat, pretio, medicarum virium non eſt expers. Caeterum aliquem tranſitum a ruminantibus per *Moſchum* et Aprum Taiaſſu ad Vngulata non ruminantia moliri naturam BVFFONIO adſentitur Noſter. Maxi- p. 28.
mam differentiam inter Moſchum et genus Ceruinum ponit in defectu cornuum per omnem aetatem et ſexum, quo ille vt et caninorum ſuperioris maxillae in maſculis inſigni magnitudine et abſen-

tia ſinuum lachrymalium congeneres agnoſcit Tragulos. Differt tamen Moſchus a Tragulo vngularum ſpuriarum in pedibus magnitudine tanta, vt terrae ferre inſiſtant, dum Tragulo plane deſint: vt et dentium mediorum minori latitudine. Vtroque momento propius ad Ceruinum genus accedit Moſchus, magis ad Antilopas Tragulus: non tamen genere diſtinguendi. Depinguntur Moſchus Sibiricus mas, hinnulus, caput feminae, ſceleton maris, et partes internae.

Faſcic. XIV. Denique in faſciculo decimo quarto *Vrſi marini*, *Gulonis Sibirici*, *Viuerrae Lutreolae*, *Muſtelae Zibellinae*, *Sarmaticae* et *Sibiricae* hiſtoriam illuſtratam, deſcriptiones, et icones omnium, Sibirica excepta, reperimus.

p. 3. Vrſum quidem *terreſtrem* et *marinum* animalia eſſe multum inter ſe ſimilia, ſed vere tamen differre. Ab Europaeo etiam diſtinguit Cl. Auctor Vrſum americanum, male a BVFFONIO cum priori confuſum: etenim huius caput proportione anguſtius, roſtro prorſus canino, corpus aterrimum, gula et genae ferrugineae, vt capite *Canem Lanionum* referat. Pro rugitu illi eſt fletus ſonorus, greſſus et

p. 7. indoles tota diuerſa. BVFFONIO praeterea impoſuit ſimilitudo Vrſi marini, vt eundem pro terreſtris varietate alba alpina dederit (h. nat. VIII. p. 264.) Indole autem et inſtinctu naturali maxime eſt alienus Vrſus marinus a terreſtri: Plus in glacie et mari verſatur, quam in terra, audaciorque eſt natans, ſemper oram glacialis oceani frequentat, nec vnquam a mari diſcedit, neque ſecundum orientale Sibiriae littus excurrit, ſed arcton amat. Videtur igitur hoc animal omnis caloris impatientiſſimum eſſe et frigidiſſimo pelago gaudere: nam Vrſum marinum iuniorem, hieme ſub tecto detentum,

tum, aegrotaſſe, contra ſub diu in niue laetiſſimum fuiſſe expertus eſt. Ad victum Vrſi marini vtuntur piſcibus et Balaenis, Phocis et Roſmaris, cum quibus tamen pugnent neceſſe eſt: his ſatiati autumnali tempore quadrupedium terreſtrium carnis non ſunt auidi, verno autem in omnia impetum faciunt: praeterea medio Septembri locum pro hibernaculo quaerunt, et Ianuarium atque Februarium continuo fere ſomno tranſigunt, absque cibo et potu. Ab hepate cocto Vrſi marini nautae verno tempo- p. 10.
re adeo periculoſa ſymptomata perpeſſi ſunt, vt tres eorum morti vicini eſſent, atque poſtea toto corpore epidermidem mutarent. Cl. Auctor hunc veneficum effectum, cum Vrſi caro alias innocua fuerit, explicare non vult. Pinguedinem huius p. 15.
Vrſi foetidiſſimam neruino vſu egregiam eſſe dicit.

Praemittit Cl. Auctor *Gulonis* hiſtoriae iudi- p. 25.
cium de diſpoſitione generum in ordine Ferarum: atque natura duce, praeter Phocarum, Canum, et Felium genera, quatuor habitu omnino diuerſa, Vrſos, Meles, Viuerras, et Muſtelas aſſumit: *Vrſi* tres eſſe ſpecies: Europaeum ſ. *Arctos*, *marinum* et *americanum*. *Meles*, his quiete tantum hiberna p. 26.
ſimilis, inſigni ab iis diſtat hiatu, et congeneres *Vrſum Lotorem* LINN. et *Viuerram Naſuam* et *Naricam*, ſpecie vix diſtinguendas, tum *M. caudiuoluulam* (ſ. *Lemurem flauum* PENN.*) agnoſcit. Hae omnes forma capitis argutiore, ſubroſtrata, inceſſu reptabundo, palmarum aptitudine, cauda longiore villoſa, oſſiculo penis magis flexuoſo ab Vrſis differunt. Sinus quibusdam eſt ſubcaudalis; lingua omnibus mollis, victus ex parte vegetabilis, conſeſſus in clunes, inceſſus, aliaque Vrſis eas ſimiliores reddunt, quam *Viuerris:* has appellat omnes agilitate et flexilitate p. 27.
corporis, longitudine caudae, linguae aſperitate,

 denti-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 345.

dentibus, victuque animali ab iſtis diuerſas: vt *Zibethica*, *Genetta* cum affinibus, *Foſſana*, *Ichneumon*, *Lutra*, *Lutreola* et *Lutris*, quae Auctori potius ad *Phocas* referenda videtur. Reliquas ſpecies omnes, gracili quidem corpore Viuerris ſimiles, dentibus tamen, lingua laeui, vellere laxo, cauda breuiore, moribusque diuerſis *Muſtelino* generi relinquit.

p. 28. *Guloni* igitur ſtationem inter *Meles* aſſignat. Si tamen, pergit Noſter, *Gulo Americanus* BRISS. ſpecie diſtinctus probetur, non male genus diſtinctum ex his et affini ſpecie, quam nomine *Viuerrae capenſis* primus Cel. SCHREBER *) delineari curavit, concinnabitur. Dentibus quidem Gulo cum Vrſo et Mele conuenit, at Noſter parum his differentibus tribuit: quoad pedes iisdem eſt ſimilis, vt et natura velleris, glandulis circa anum et anatome. Habitu autem, caudae villoſae longitudine, breuitate pedum, moribus et vnguium in pugna vſu ſimilior eſt Meli, a quo et Vrſo tamen differt temperamento: neque enim pinguedinem colligit, neque hieme dormit, ſed ſemper praedabundus vagatur. Habitat *Gulo* in borealibus Aſiae et Europae rupeſtribus et ſaltuoſis locis, noctu praedatur, ſagaciores feras ſectatur, earumque reliquiis veſcitur: ipſe enim parum pedibus valet. Praedam ex inſidiis aſſequitur, eamque etiam effo-

p. 32. dit. Exagitatus foetidiſſimum halitum emittit, in arbore, vbi poteſt, ſalutem quaerit. Coëunt Gulones autumno, parere femina dicitur plerumque binos, rarius ternos, tumque in arborum truncis, vel derelictis Melium ſpeluncis deliteſcit. Iunior facile cicuratur. Nota de Gulonis voracitate hiſtoria a Sibiriae venatoribus plane ignoratur. Addit Cl. Auctor nomina barbara et vſum pellis.

Viuer-

*) vid. EIVSD. *Säugth.* P. III. p. 450. Tab. CXXV.

Viuerram lutreolam (*Muſtelam* LINN.) idem eſſe animal cum Americano animale, *Minx* ab Anglis dicto, putat Cl. Auctor. Interim Lutreola, Europae cum America boreali communis, per vniverſam Sibiriam exulat: quod quidem, cum cancris, quibus Sibiria caret, et ranis, quae ibi ſunt rariſſimae, veſcatur, inde facile explicatur. Recens captum animal poſteriore corporis parte moſchum haud ingrate ſpirat; eiusque carnes non facile corrumpuntur. Pellis hiemali tempore pilis fuſco nigricantibus ſplendet, peiores Zibellinas imitatur. Gracilitate et reliquo corporis habitu, vt et lingua ſubaſpera, caudae minori villoſitate, inceſſu tardiore ad Viuerras trahitur. In hoc animali inter aortam et ventriculum pulmonalem cordis communicationem quandam inuenit, vt et clauicularum exigua rudimenta, quae poſtea in omnibus feris, ſolo Vrſo excepto, conſtanter ſupra inferiorem terminum maſtoideorum muſculorum inuenit. Subiungit Noſter haec: "Qui omnia in certos fines a natura inſtituta eſſe iactant, cuinam vtilitati minutula iſta clauicularum quaſi germina in feris, imo et in *Leporibus auritis* imperfectas clauiculas celluloſae libere inhaerentes, neque ligando brachio nec firmandis muſculis ſeruientes, praedeſtinata dicent?„ p. 40. p. 44. p. 45.

Muſtelae Zibellinae, quae rectius *Zobela* dicitur, patria vera eſt Sibiria: reperitur tamen et citra vralenſe iugum, imo demonſtrat Noſter etiam in America boreali reperiri Zibellinam, talemque eſſe Martem, BVFFONIO *) *Viſon* dictum, et FORSTERI **) *Martem Abietum*. Ipſa autem Zobela eſt agiliſſima, ingenioſa, verſuta nullique congenerum fortitudine et inſtinctu cedit, ſic leporem praedatur, Muſtelas et Ermineas necat et deuorat, p. 54.

*) Hiſtor. natur. Vol. XIII. p. 305.
**) Philoſ. tranſact. Vol. LXII. p. 372.

cicurata felem occidiſſe vi'a eſt. Non tamen eſt
inſidioſa, ſed docilis. Habitat in ſyluis montanis,
ſereno et tranquillo coelo praeſertim noctu victum
quaerit, procelloſa vero tempeſtate in nido dormit.
p. 59. Pro domicilio cauas arbores eligit, vel rarius ad ra-
dices cuniculum parat, vel ſciuri nidum ſibi adaptat.
In nido ſeceſſus duos parit, in quorum altero col-
lectum pabulum ſuperfluum ad intempeſtos dies
colligit, altero pro cloaca vtitur. Coitum celebrant
Zobelae Ianuario vel Aprili, femina parit catulos 2-5.
Praeter carnes etiam vegetabilibus veſcuntur. Plura
de moribus, captura, varietatibus praeterimus.
p. 69. *Martem Foinam* BVFF. ſpeciem diſtinctam
a Muſtela Marte eſſe dubitat. Differt autem Zo-
bela a Marte proportione partium, cauda inprimis
p. 71. breuiori et pedibus villoſioribus: vtraeque autem
in palmae plantaeque digitis plicis inter digitos
laxis praeditae ſunt, vt faciliorem ſupra niuem in-
ceſſum habeant et digiti inter ſcandendum conti-
neantur.
p. 79. BVFFONIVM refutat Noſter, qui maiorem foe-
tentium animalium numerum Americae datum
fuiſſe, quam antiquo orbi, credidit, vt iuxta amatam
Illius hypotheſin, America, in tetra hac familia qua-
drupedum non ex antiquitus notis orbis partibus
colonos accepiſſe, ſed peiora omnia protuliſſe vi-
deatur. Eſſe enim in antiquo orbe putidarum
Muſtelarum ſpecies plures: BVFFONII Muſtelam
Zorille dictam, non eſſe Americanam, ſed Africanam,
capenſem, atque *Muſtelam Sarmaticam* et *Sibiricam*
Illum plane latuiſſe. Priorem inter *Mephitidem*
capenſem, modo dictam, et *Muſtelam Putorium* eſſe
p. 81. mediam; eamque vix niſi inter *Volgam* et *Iſtrum* flu-
vios in campis arbuſtoſis capi. Putorii inſtar in cu-
niculis, Citillo expugnatis et aptatis habitat et reli-
p. 86. quis moribus multum Furoni eſt ſimilis. Altera,
Sibiriae

Sibiriae orientali peculiaris, inter *M. Putorium* ſ. *Furonem* et *Ermineam* intermedia eſt. Colit ſiluas horridas, praeſertim abietinas, eſt voracitate ſumma atque inſatiabilis fere. Electrica virtus, quae in omnibus Muſtelini generis animalibus eſt inſignis, in Sibirica et Erminea tamen praecipue eminet. Hac occaſione ſubnectit, omnium auium recens occiſarum et calentium plumas ita electricas deprehendi, vt fibrillis lanugineis alienis corporibus diu adhaereant, quae virtus etiam in lanuginoſis plumis diu ab aue reuulſis calefactione et attritu reſuſcitatur: deinde ala Papilionis, dudum extincti, inter digitorum frigidorum et ſiccorum apices trita adeo electrica euadit, vt ab iisdem non depelli poſſit. p. 88. p. 89.

V.

WILHELM FRIEDRICH *Freyherrn* VON GLEICHEN, *genannt* RVSSWORM, *Abhandlung über die Samen- und Infuſionsthierchen, und über die Erzeugung; nebſt mikroſkopiſchen Beobachtungen des Samens der Thiere und verſchiedner Infuſionen. Mit illum. Kupfertaf. Nürnberg, Bey Adam Wolfgang Winterſchmidt*, 1778. 1. *Alph. in* 4.

i. e.

GVILIELMI FREDERICI liberi Baronis A GLEICHEN, RVSSWORM dicti, tractatio de animalculis ſpermaticis et infuſoriis, et de generatione: additis obſeruationibus microſcopicis ſeminis animalium et variarum infuſionum.

Perill. Auctori, quem ſubtiliſſimis obſeruationibus iam aliunde *) cognoſcunt Lectores, omnino adſentimur, non facile microſcopio obſeruationes inſtitui, ſed artem, conſtantiam, ſenſuum integritatem atque ingenium in obſeruatore requiri. Eius autem obſeruationes eo maiorem merentur fidem, quo diutius Cl. Auctor iam iisdem operam dedit, et quo maior Eius eſt in ipſis viſis rebus delineandis induſtria et veritatis amor. Viſa igitur et hic deſcripta ipſe Cl. Auctor delineauit. Nos, cum obſeruationes ſint notatu digniſſimae, quantum fieri poteſt, praecipuas vt et eius inde collectas poſitiones enarremus; etſi ſimul fateri neceſſe ſit, nos nondum prorſus de eius ſententia perſuaſos eſſe factos. Tres igitur ſunt libri partes, quarum priore de animalculis ſpermaticis et generatione, altera de infuſoriis animalculis, et tertia de variis infuſionibus tractatur.

p. 3. In priore potiſſimum a LEEVWENHOECKIO detecta animalcula ſpermatica in ſemine animalium et vegetabilium adeſſe, atque in iis primordium fetus contineri demonſtrare annititur Cl. Auctor. Igitur HALLERI, BONNETI et BVFFONII hypotheſes de generatione impugnat, ac dubias reddit. Etenim animalcula ſpermatica vere adſunt, atque motu ſpontaneo, a moleculis organicis, veſiculisque aëreis, fermentatione vel alia de cauſſa exortis diſcernuntur. Refutatque NEEDHAMVM, qui haec animalcula, poſt eiaculationem ſeminis oriri perhibuit, etenim iam in veſiculis ſeminalibus, nondum vero in teſticulis animalium conſpiciun-
p. 10. tur. In ſemine virorum ſexagenariorum nulla ani-
malcula inuenit, atque omnino ſemen his deſtitu-
p. 17. tum infoecundum eſſe exiſtimat. Cicatriculam primum rudimentum oui eſſe, atque ipſam foecundationem

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 489.

nem ante collectionem vitelli fieri probabile Cl. Auctori videtur. Oua Ranarum in ouariis diſqui- p. 20.
ſuit, atque in iis ſingulis excauationem, foraminulo ſimilem, obſeruauit, vt et lentum eorum incrementum. Sub finem Martii perfecta ſunt oua, ſunt autem foecundata non foecundatis perfecte ſimilia, neque concedit in iis embryonem conſpici poſſe, vt SPALLANZANI *) ſe vidiſſe propoſuit.

In plantis etiam eandem eſſe foecundationis ra- p. 22.
tionem, vt in animalibus demonſtrat. Semen eſſe ouum, atque corculum eſſe idem, quod animalculum ſpermaticum. Ante foecundationem enim membranas ſeminis claro et pellucido liquore eſſe repletas: foecundatione autem peracta, atque ſemine maturo corculum cum cotyledonibus adeſſe: illuſtratur hoc iconibus microſcopicis ſeminis Tritici, Hordei, et Auenae, idemque in ſemine Phaſeoli et Zeae rubrae optime ait conſpici. Ex obſeruationibus his igitur oppido patere corculum ex polline ab extus in ſemen penetraſſe, atque adultum ſe ab oui fundo ſeparaſſe: ideoque perperam corculi praeexiſtentiam in gelatinoſo ſeminis liquore quaerere BONNETVM et SPALLANZANI.

Species hybridas nunc conſiderat. Mulam, p. 25.
ab equo foecundatam, Oettingae peperiſſe pullum, equo ſimillimum, praeter aures longiores, qui 14 dies vixerit: Eandem altera vice iterum pullum, quosdam dies viuentem, peperiſſe. Docet Cl. Auctor, ſibi occaſionem, ſperma Muli microſcopio perluſtrandi defuiſſe, vna vice excepta, vbi tamen Mulus iam 12 annis natu maior erat, vt igitur eius ſperma non poſſet non aquoſum, animalculis ſpermaticis carens, et infoecundum inueniri. Narrat deinde Mulum omnino inſtinctum ad coitum habere,

*) vid. EIVSD. *phyſicaliſch. mathematiſche Abhandlungen.*

bere, teſtimoniaque recentiorum et veterum affert, quibus Mulos vi foecundante inſtructos eſſe comprobare ſtudet: nullamque aliam, niſi doctorum et indoctorum circa hanc rem praeiudicia, cauſſam eſſe, cur vel plane nulla, vel negligenter tantum, experimenta inſtituta ſint. Notatu etiam dignum eſt canem cum ſue *), hircum cum oue, arietem cum capra, ceruum cum vacca et equa **), catum cum cuniculi femina, cuniculum cum gallina, gallum cum anate, pauonem cum gallina ***), canem cum oue ****) coitum vel foecundum, vel infoecundum exercuiſſe. Contra canem cum lupo, atque leporem cum cuniculo coitum abnuere. (At vero, quod priora attinet, ouis et capra, ceruus et vacca ſibi ſunt admodum affinia animalia; cuniculi autem cum gallina et ſimilium diffinium animalium coitum vel dubium vel ſemper infoecundum eſſe debere perſuaſi ſumus. Lupi deinde et canis coitum obſeruauit primum PENNANTVS †) atque nuper etiam BVFFONIVS.) Praeterea autem etiam in his coitus generibus quandam ſingularem inclinationem animalium erga haec vel illa animalia obſervari ait: ſic ceruum, de quo mox eſt dictum, iteratis vicibus vnam eandemque ſibi vaccam elegiſſe, cum qua coiret. Hybridorum animantium ex equo et boue, ſ. *Onotaurorum* praeſentiam defendit, atque litteris eandem teſtantibus confirmat, vt omnino de his adeo miraculoſis animantibus vix amplius dubitare liceat.

Animal-

*) *Hamburgiſches Magaz.* 10. *Band. Seit.* 445.

**) *Neueſt. a. d. R. d. Pfl.* §. CI. BONNETS *Betr. d. organiſch. Körp.* 2. *Theil. Seit.* 301.

***) vtrumque coitum ipſe Cl. Auctor vidit.

****) ABILGAARDS *Unterricht von Pferden, Kühen, und Schaafen etc.*

†) Synopſ. of quadrup. p. 149.

Animalcula ſpermatica in feminis eſſe negat, p. 31.
contra BVFFONIVM. In epididymide bouis, apri, p. 35.
animalcula inſtar globulorum mobilium, perinde ac
in lactibus piſcium vidit, in teſticulis vero hos non
vidit: hinc colligit hos globulos eſſe ſubſtantias, ani-
malculis ſpermaticis deſtinatas, quae in epididymi-
de prima vitae ſtamina accipiant, atque ibidem quaſi
fota, in veſiculis ſeminalibus in ipſa animalcula ſper-
matica euoluantur. His praemiſſis, obiectiones,
quae contra theoriam ſuam excitantur, remouere
ſtudet. Ac primum quidem haec animalcula ſper-
matica nondum ipſa animalia, neque in ſpermate
humano homines eſſe, ſed corpora organiſata in
vtero feminino vel in ouo efformanda. Neque
parſimoniam obſeruaſſe, ſed prodigam vbique circa
generationis negotium inueniri naturam: plurimos
enim flores in arbore non fructus perfectos produ-
cere, atque millenos pollinis globulos in formando
ſemine ſuperfluos eſſe. Principium corporum eſſe p. 39.
inuiſibile atque, vt luminis materiam, in vniuerſo
diſperſum, idemque eſſe vel cum luminis materia
coniunctum vel eidem affine, atque in corpora in-
troductum. Igitur prima animalium et vegetabi-
lium rudimenta ipſi atmoſphaerae innatare, et ab
animalibus vel inſpirari, vel nutrimentis deglutiri,
atque in plantis a ſuccis antherarum attrahi. Dein-
de cum ſanguine circulare, atque animalem naturam
induere, tum in teſticulis deponi, ibidemque a phlo-
giſto corporis viua reddi ſ. in animalcula ſpermatica
mutari. In plantis autem via breuiori in filamen-
tis prima rudimenta plantae accipere atque cor-
cula fieri, quae deinde per fructificationem, vti ani-
malcula in animalibus per coitum, in partes femi-
ninas ducantur ibique formam plantae nanciſcan-
tur. Alia autem rudimenta, quae non ad vaſa ſper-
matica

matica deueniant, nutritioni et vitae animalium et vegetabilium inſeruire.

Ex his patet, quoad originem primi rudimenti Cl. Auctorem cum BVFFONIO fere conſentire, atque in eo tantum differre, quod haec rudimenta a mulieribus introſuſcepta in illis, ob defectum ſimilium ſuccorum et partium, non euolui poſſe, illaque tantum nutrire aſſerat, omninoque noui organici corporis germen in animalibus figura animalculi ſpermatici, in plantis forma corculi ad partes ſexuales deferri, atque in ouo feminino nutriri. Praeterimus plura, quae contra theoriam praeexiſtentis in ouo germinis et euolutionis docte et ſatis grauiter monet.

p. 43. Ex hac ſua theoria maiorem infantum cum patre ſimilitudinem, quam cum matre, gemellorum, monſtrorum et hybridorum originem facile declarari oſtendit. Quod ſi interdum organa animalculi ſpermatici non ſatis elaſtica nec fortia ſint, tum a ſuccis oui ſuperari atque infantes matri fieri magis ſimiles. In ipſis iam vaſis ſeminalibus maſculini ſexus diſpoſitionem de prole vel maſcula, vel femi-
p. 49. nina fieri. Connatos fetus a duobus animalculis ſpermaticis vnum ouum ingreſſis deriuat: ſi vero plura animalcula plura oua penetrauerint, gemelli,
p. 55. fetus terni et quaterni oriuntur. Ab imaginatione materna naeuos deriuandos eſſe probat exemplis, a ſe ipſo viſis. Tabulam ſubiungit, quae ſcalam metamorphoſeos et euolutionis in regno animali et vegetabili attinet. Nos, iudicio noſtro ſuſpenſo, ſolas Cl. Auctoris obſeruationes et ſententias propoſuimus.

p. 65. Altera in parte animalitatem animalculorum infuſoriorum, eorumque a ſpermaticis diuerſitatem, et de origine eorundem hypotheſin proponit. Refutatis igitur BVFFONII et NEEDHAMI opinio-

opinionibus, Celeberrimo O. F. MÜLLERO laudes meritiſſimae tribuuntur: atque laudandae etiam ſunt Cl. Auctoris in re adeo operoſa, ſollicitae et accuratae obſeruationes, quae cum iis, quas etiam Cl. TERECHOWSKY inſtituit, cuius libellus *) Cl. Auctorem haud dubie latuit, optime congruunt. In p. 69.
eo differunt animalcula infuſoria a ſpermaticis, praeter formae atque motus diuerſitatem, quod ab omni ſalino et ſpirituoſo liquore interimantur, cum contra ſpermatica in eodem viuant: ſed in ipſo ſpermate, mortuis animalculis ſpermaticis, affuſa aqua et infuſione carnis, oriuntur animalcula infuſoria. At nonne haec cum ipſa aqua affuſa addi potuerunt?

Ipſa Cl. Auctoris de origine corporum hy- p. 73.
potheſis Needhamianae et Wolfianae affinis videtur. Etenim a Creatore, ait, datam eſſe in principio elementis vim, formationem corporum congreſſu atomorum, organiſationi aptarum, efficiendi: cum videamus continuo ab elementis corpora plurima componi, atque deſtrui. Hanc vero vim formatricem corporum hoc tempore non vbiuis adeo eſſe fortem, ac in principio ante vniuerſalem elementorum mixtionem fuerit. Ex motu igitur p. 74.
et ſeparatione ſpiritus et materiei primam organiſatorum corporum in infuſionibus originem eſſe deriuandam, atque eandem in ipſis aquae partibus conſtitutiuis eſſe poſitam: has quieſcere, donec ab externa cauſſa in motum cieantur: itaque ſi aqua in ſpatio anguſtiori, vaſe vel aperto, vel clauſo, coarctetur, fermentatione leniori dictas organicas et ad animalitatem definitas ſubſtantias moueri atque elaſticis et balſamicis aëreis particulis foecundari: tum plerumque microſcopio motum veſicularum minimarum ſeſe vnientium, quae tamen ab ipſis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 42.

ipſis animalculis ſpermaticis ſint diuerſae, conſpici. Peractis 12-24 horis ipſa animalcula infuſoria apparere, ſimul autem varias informes, vita tamen praeditas particulas, quae ſub ipſo intuitu in animalcula vera euoluantur, adeſſe: nonnunquam etiam duas coniunctas, ſaepe informes veſiculas transvolui, quas communis cauſſa mouere videatur. Has informes particulas et coniunctas veſiculas coniicit in eo eſſe, vt ſe ipſas in membranam communem, ab ipſis genitam, inuoluant, atque deinde varia animalcula infuſoria forment. Igitur colligit, rudimenta organicae vitae, in veſiculis dictis fermentatione euoluta, et a heterogeneis particulis ſeparata, fotu liberi ſpiritus in animalem vitam adſcendere, et vel vi attractrice, vel alia ratione coniuncta in animalia efformari: haec eſſe *prima* ſui generis, *non generata*, ſed ad gignendum apta: eorumque figurae diuerſitatem ſimilem etiam particularum in aqua, ex qua orta ſint, varietatem demonſtrare. Probantur haec obſeruationibus, vbi et in puriſſima aqua, infuſionibus ſeminum, rore deſtillato, cocta et deſtillata aqua pluuiali, riuali, fontinali, filtrata, et non filtrata, vaſis et clauſis, et apertis, animalcula orirentur. Refutantur autem NEEDHAMI de vegetatione et BAKERI, REAVMVRII, aliorumque de ouis opiniones.

p. 76.

p. 78.

Interim in infuſione facta ex eadem aqua cum eodem ſemine, ſaepe animalcula conſpiciuntur, quae alio tempore non aderant. Cuius phaenomeni cauſſas ſequentes eſſe coniicit Cl. Auctor: mutatam proportionem aquae ad materiam infuſam, indeque pendentem fermentationis maiorem vel minorem gradum, aëris vel grauitatem vel leuitatem, elaſticitatem diuerſam, variamque mixtionem, origini animalium vel fauentem, vel noxiam; temperiei mutationem, calorem frigusque, tonitru

et

et fulgura; copiam vel inopiam particularum in aqua, animalitati idonearum; congreſſum particularum homogenearum celeriorem, vel retardatum eundem interuentu heterogenearum, atque diuerſitatem liquorum nutritiorum fermentatione maiore vel minore paratorum.

Praeterimus varia de diuerſitate vitae vel longioris, vel breuioris, ſenſuum, et figurae a Cl. Auctore in animalculis infuſoriis obſeruata, ac commemoramus tantum, eadem membrana ſubtiliſſima atque vitrea pelluciditate praedita eſſe inuoluta. Quod propagationem attinet, multis tentaminibus incaſſum inſtitutis, tandem contigit, vt aqua rubro colore tincta, qua animalcula veſcerentur, videret eadem omnino et oua, et noua animalcula gignere, ipſum etiam coitum duorum animalculorum atque multiplicationem ſpontanea partitione obſeruaret. Caeterum etſi haec animalcula infuſoria multis ex cauſſis *Hydris* ſimilia cenſet; ab iis tamen etiam multis modis differunt. Modeſte praeterea DE L'ISLE et MÜLLERI opiniones, quorum alter Hydram pro copia animalculorum vna in membrana inuoluta habebat, alter autem omnibus ſic dictis zoophytis et lithophytis animalitatem negabat, refutat, ſimulque LINNEO, qui in exanthematibus, et MÜNCHHAVSIO, qui in puluere fungorum animalcula aſſumſerint, repugnat. p. 82.

Nouam denique obſeruationem, cuius, praeter Cl. ELLIS *), nemo mentionem fecit, proponit Cl. Auctor, qua cryſtallos in ſemine animalium et infuſionibus vidit. Commiſcuit nimirum infuſionem carnis hircinae cum hordeacea, atque in eadem ſingulares cryſtallos, easdemque deinde in reliquis et vegetabilium, et animalium infuſionibus anima- p. 91.

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LIX. p. 138.

animatis vidit. Colore ſunt albo, atque ſemper ſub membrana mucoſa infuſionum apparent: ſalinae non ſunt indolis, ſed potius terreae, etenim aci-
p. 94. do nitri ſoluuntur. Has cryſtallos ex decompoſitione animalculorum infuſoriorum oriri probat ex eo, quod etiam in aqua, in quam infuſoria animalcula ponuntur, oriantur, tum etiam in omni ſolutione carnea.

p. 105. Tertia denique parte obſeruationes tradit Cl. Auctor; primum methodum deſcripſit, qua in obſeruando vtitur. Deinde obſeruationes de ſpermate humano, ortisque in eodem cryſtallis, de ſpermate canino, aſinino, equino, bouino, hircino, ranino, et gallinaceo. Cryſtalli in his obſeruatae vel cubicae, vel prismaticae, vel octaëdrae, mucrone truncato apparebant. Sequuntur cum infuſionibus cerealis, zeae, hordei, piſi, cannabis, et ſuper cryſtallis earundem inſtitutae obſeruationes. In his vidit vorantia animalcula, varios motus, et reliquas proprietates, quarum ſupra mentionem fecimus. Quae quidem omnia cum iconum, quas Auctor dedit, egregiarum illuſtratione egeant, a nobis hic vberius recenſeri non poſſunt, ſed a naturae curioſis ipſa ſunt legenda. Noua, et miratu digna, modeſte et docte propoſita a Cl. Auctore, omnem laudem et gratias merentur.

VI.

Catalogue raiſonné, ou ſyſtematique du genre des Inſectes, qu'on appelle Coleoptrées par IEAN EVSEBE VOET. à la Haye. 4.

i. e.

Index ſyſtematicus Coleoptrorum, Auctore IOANNE EVSEBIO VOET.

Breuem

Breuem tantum huius libri, iconibus perelegantibus, nitidis et iuxta naturam recte factis ſplendidi, dabimus indicem, tum quod, qui ex eo omnem fructum capere volunt, ipſas icones videant neceſſe eſt, tum quod nomina cum Linneanis iam comparauit Cl. GOEZE *).

Igitur tabulae, quas vidimus, quadraginta ſiſtunt accuratas et egregias icones multarum ſpecierum, nondum icone delineatarum, ex ordine Coleoptrorum, quas et ROESELIVS et KLEEMANNVS pinxerunt, poſterior autem omnes ſculpſit et ad picturam prototypam viuis coloribus ornauit. His tabulis breuis addita eſt deſcriptio ſpecierum triplici idiomate, Latino, Gallico, et Belgico. In deſcriptionibus ſolum optaremus, Cl. Auctorem ſpecies iam cognitas nomine Linneano indicaſſe, nec noua, praeter neceſſitatem, propoſuiſſe, quod Lectores non ſatis verſatos non poteſt non confundere, et vel verſatioribus non paruam operam parat, efficitque, vt ipſi non ſaepe errent in determinandis iconibus, quod etiam in laudato GOEZII libro eueniſſe hic illicque deprehendimus. Praemittit Cl. Auctor cuilibet generi characterem et breuem hiſtoriam: e quibus nonnulla notemus.

Scarabaei amplum genus hoc ordine diſpoſuit, vt 1) *Anthocantharos* ſ. floricolas, qui floribus inhabitant, 2) *dendrocantharos*, qui arborum foliis inſident et veſcuntur, et 3) *terricolas* recenſeat. Singulis ſua eſt a natura tributa forma; ſic ii, quos volatu victum quaerere neceſſe eſt, ſcutello lumbari maiori praediti ſunt. Floricolae epiphyſi inſigniuntur ſub abdomine, intra articulationem cru-

 rum

*) *Entomologiſche Beyträge zu des Ritter* LINNE', *des* 12*ten Naturſyſtems, von* IOH. AVG. EPHRAIM GOEZE. *Leipzig.* 1777. 8.

rum mediorum et posticorum, vt et apophysi mucronata tegumenti dorsalis cornei. Terricolae spectabiles sunt cruribus anterioribus robustissimis latissimis et crasse dentatis, quibus terram facilius effodiant.

p. 35. A Scarabaeis seiungit *Coprides*, qui differunt ab illis 1) defectu scutelli inter Elytra, 2) cranio planissimo et tenui; 3) cruribus mediis et posticis latis planisque, anteriorum vero pedibus tenuibus. Habitant in fimo.

p. 48. Tertium genus, quod ab Auctore *Cupes* dicitur, et antennis, vtut clauatis, tamen et maxillis prominentibus et scutelli defectu differt a Scarabaeis, quibus LINNEVS eos subiunxit.

p. 49. *Silphae* nomine insignit Auctor *Lucanos* LINN.

p. 52. et *Pollinctores* dicit, qui LINNEO sunt *Silphae*. *Dermestem Scarabaeoidem* LINN. *Coprioidem* appellat.

p. 59. *Histrionem* dicit *Byrrhum Pillulam* LINN. et cognatos. Posteriores *Silphae* species Linneanas, *Pseudopeltas* nominat. *Silpham femoratam* FABR. *Aibolum* dicit. *Pseudocupis* nomine coniungit *Attelabum Bupreſtoidem*, *Carabum Cephalotem*, et *Tenebrionem fossorem*. Sub genere *Bupreſtis* vnit Carabos, Tenebriones et Cicindelam ripariam.

Optandum est, vt his egregiis iconibus continuatio et finis libri proxime succedat.

VII.

Historia naturalis regni mineralogici ad naturae ductum tradita a IOAN. WILH. BAUMER, Sereniſſimi Haſſiae Landgrauii a Conſiliis rerum metallicarum. Francofurti, ex officina Garbiana. MDCCLXXX, 1 Alph. 12 plagg. 8. tabb. aen. III.

Ex

Ex diligenti naturae ſcrutatione factum eſt, vt Cl. Auctor quaedam antea, (*in hiſtoria regni mineralogici*, Gothae, 1763.) dicta mutanda, et iam plura adiicienda neceſſarium et vtile duceret. Sicque ſe tum *in geographia et hydrographia ſubterranea*, Gieſſae 1779 edita, tum in hoc libro, ex experientia quaedam dogmata ante haud dicta, hiſtoriam naturalem bene illuſtrantia, in medium protuliſſe ait. Sedes mineralium fideliter indicauit, atque accurata librorum citatione meritiſſimis naturae Myſtis, ſua cuilibet tradidit. Igitur in partes ſex totum librum diuiſit, quarum prima *de regnis aeolicis ſubterraneis*, ſecunda *de regnis vulcaneis ſubterraneis*, tertia *de ſalibus naturalibus*, quarta *de regnis Naiadum ſubterraneis*, quinta *de regnis veſtalibus*, et ſexta *de regnis Pluti ſubterraneis* agit. Etſi autem nobis, vt ingenue fateamur, metaphorica haec denominatio minus placeat, atque aëris ignis et aquarum differentiae magis chemiae et phyſicae obiecta eſſe videantur: negandum tamen non eſt plura ſcitu digna et vtilia hic eſſe propoſita, quorum nos praecipua indicemus, omiſſis iis, de quibus nos a Cl. Auctoris ſententia recedimus.

Aëri ſubterraneo ortum metallorum minera- p. 3.
rumque adſcribendum eſſe negat. Antrorum aeolicorum exempla in Germania, Heluetia, et alibi inuenienda recenſet. Vapores in ſulphureos, ſali- p. 6.
nos, arſenicales et mixtos diſpeſcit. Ignes ſubterra- p. 18.
neos naphthae et petrolei fontibus, eadem ex lithanthracibus naturali quaſi deſtillatione expellendo occaſionem praebere, vero proximum Cl. Auctor putat. *Ambram* ex naphtha, ſalis communis acido, p. 20.
aqua et particulis terreis compoſitam dicit. Ex ambrae drachma vna, naphthae ſcrupulos 2 ½, acidi volatilis, ſuccini acido ſimilis, grana 2, phlegmatis aciduli grana 5, et terrae puluerulentae granum

p. 25. vnum obtineri poteſt. *Copal* minerale ſub deſtil-
latione aliquid phlegmatis et petrolei, nullum au-
p. 33. tem ſal volatile largitur. Sulphur ex acido vitrio-
lico, phlogiſto et *terra vitreſcibili* fuſca conſtare di-
p. 37. cit. Arborum foſſilium radices occidentem, ramos
vero orientem verſus ſemper directos eſſe, notatu
omnino dignum eſt: ex hoc enim eorum ſitu aqua-
rum, illas olim aduehentium atque ſepelientium,
curſum ab oriente occidentem verſus directum fuiſſe
p. 40. colligimus. Lignum foſſile putrefactum, *terra*
Vmbria, ex lignis mollioribus, aquarum diluuie con-
geſtis, temporis ſucceſſu corruptis, atque forma ſua
p. 48. exutis ortum eſt *). Vulcanorum ortum ſeriei
ſciſſilis nigrae, pyritis, ſulphure, bitumine minerali
atque lithanthracibus fetae, atque in nonnullis locis
praealtae, deberi arbitratur: atque fluctus marinos
cryptas inter telluris ſtrata ſenſim aperire et ad vul-
p. 50. cani officinas aeolo viam pandere autumat. In mari
moderno cum nouis montibus nouas etiam Vul-
cani officinas exſtrui Cl. Auctori eſt probabile, cum
nouiter exortorum Vulcanorum exempla proſtent.
p. 53. Ignibus ſubterraneis terrae motus adſcribendos eſſe
p. 54. cenſet, horumque directionem telluris longitudi-
nem, non autem latitudinem ſequi obſeruatum eſt.
Hoc, inquit, ex ſerierum ſciſſilium nigrarum inter-
ruptione, quae ſecundum telluris latitudinem, mon-
tium petroſorum interpoſitione, de ſpatio in ſpa-
tium fit, conceptu atque diiudicatu facile eſt. Attа-
men intra vnius circiter gradus latitudinem, quem
ſeries quaedam ſciſſilis nigra, petroſis ex vtroque
latere incluſa, occupat, per lineas axi telluris para-
lelas eatenus non ſolum diffundi, ſed etiam, ſi ter-
rae motuum cauſſae, in mari incipientes, in di-
verſis

*) vid. DE HÜPSCH *Entdeckung des waren Urſprungs des Cöllniſchen Umbers. Frankf. und Leipzig.* 1773.

verſis latitudinis gradibus ſimul agunt, in iis vno eodemque, vel paullo poſt futuro tempore percipi poſſunt.

Alumen fluidum album et flaueſcens in Thuringia prope *Kleinfahnern* ſub ſchiſtorum aluminoſorum, aëri expoſitorum, aceruo ſatis copioſum vidit. P. 78.

In Thuringiae ſerie teſtaceo calcarea, et quidem in eius ſchiſtis margaceis, tempeſtate poſt magnos imbres admodum calida, *ſalem alcalinum naturalem* album in forma puluerulenta ſaepius vidit. P. 85.

Aquae purae qualitatibus fontiumque origine expoſitis, de aquis calcariis, thermis, ſalſis; ſoteriis alcalinis, natroſis, martialibus, aquis aluminoſis, atramentoſis, aëroſis, viroſis, ſulphuratis et bituminatis agit, earumque mixtiones et loca natalia enumerat. P. 100.

Terras a lapidibus ſeparat. Inter lapides ſaxa primum recenſet. In Thuringiae planitiebus Cl. Auctor permagnas Quarzi et Porphyritae maſſas, plures Centenarios ponderantes, a ſerie petroſa probabiliter abruptas, et vi aquarum illuc delatas, vidit. P. 219.

Baſaltem petroſum, ab argillaceo diſtinguit: vtrumque in mari veteri, vt alii lapides, praecipitatione ortum eſſe arbitratur, neque illos Vulcanorum reliquias eſſe cenſet. P. 236.

Lapides corneos in terram calcaream temporis ſucceſſu fatiſcere a nonnullis perperam ſtatui putat, cum in ſerie cornea dictae terrae ne minimum quidem veſtigium compareat. P. 240.

Montis Thuringiae altiſſimi, a niue nomen habentis, latus occidentale, ad vallem verſus Suhlam deſcendentem, lapidibus corneis nobilioribus, parallelepipedi figuram imitantibus, albidis, flauis, viridibus, rubris atque variegatis pauimenti inſtar, miro prorſus ſpectaculo contectum eſt. P. 243.

De *Gypſi* ortu hanc cauſſam obſeruauit: in illis regionibus, vbi alta lithanthracum atque lapidum ſciſſi- P. 330.

lium, acido vitriolico ſaturatorum ſtrata ſeriei marmoreae ſubiecta ſunt, ibi ſub ipſa horum montium ſucceſſiua in mari veteri exſtructione, ab acido vitrioli materies calcaria in gypſeam pedetentim mutata eſt, quin acidae ex dictis ſtratis exhalationes etiam nunc ſub coelo calido perdurant.

p. 342. Lapides ſequitur petrefactorum, quae regnorum Veſtalium hoſpites dicit, conſideratio, quorum ſpecimina quaedam tabulae aeneae repraeſentant.

p. 442. Ad mineras accedimus. Ex Minera aurifera Nagyagenſi *) mercurii ope aurum ideo extrahi non poſſe ſuſpicatur, quod mars, minerae largiter admixtus, hydrargyri actionem in aurum impediat.

p. 448. Non ſolum montes, ſed etiam mineras atque metalla iam in veteri mari nata eſſe, atque in moderno etiam nunc oriri arbitratur. Aqua enim marina particulis terreis ſubtiliſſimis, ſalini varii generis, atque phlogiſticis feta, poſt exſtructos montes petroſos, in ſtratorum rimas penetrans, dictas particulas, generandis mineris aptas, in cryptas montanas deduxit, quae ibi quietem nactae, mutua cohaeſione grauiores factae, atque ex vehiculo ſuo praecipitatae, noua mixta teneriora lapidea, metalla atque mineras produxerunt. Strata metallica, ſub montium ſciſſilium generatione, ſimul cum reliquorum ſtratorum generatione coorta, et tanquam ſpecifice grauiora, primo ad fundum acta eſſe, ideoque iam ſerierum ſciſſilium ſtatumen conſtituere, idemque de ſerie calcareo metallica et particulariter de marmorea atque arenoſo argillacea valere arbitratur **). Sequenti ordine metalla conſiderat Cl.

*) vid. BORNS *Briefe*. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

**) cf. DELII in tractatu de montium minerarumque ortu p. 90. ſententia: titulus libri eſt *Abhandlung von dem Urſprunge der Gebirg- und Erzadern, und von der Vererzung des Goldes*. Leipzig, 1770. 8.

Cl. Auctor; de mercurio, arſenico, cobalto, magneſia vitrariorum, nicolo, antimonio, zinco, wiſmutho, marte, ad quem etiam ſmiris et ſpuma lupi refertur, plumbo, ſtanno, cupro, argento et auro.

VIII.

IOH. FRIEDR. GMELINS *Einleitung in die Mineralogie zum Gebrauch akademiſcher Vorleſungen. Nürnberg, bey Gabriel Nikolaus Raſpe.* 1780. 1 *Alph.* 2 *Bog. in* 8.

i. e.

IO. FRIEDER. GMELINI introductio in mineralogiam in vſum praelectionum academicarum.

Cl. Auctor ad foſſilia cognoſcenda vtramque methodum et characteribus externis, et chemicis diſquiſitionibus adhibendam eſſe putat. Ipſa foſſiliaita diuidit, vt quatuor claſſes 1) Terras et Lapides: 2) Salia: 3) Phlogiſtica corpora: 4) Metalla conſtituat. Priores in quatuor ordines diſpeſcit, quorum prior terras et lapides calcareos, ſ. qui ex tera calcarea maximam partem conſtant; alter lapides, quos terra ſalis amari componit; tertius lapides argillaceos, et quartus ſiliceos comprehendit. In ſingulo ordine primum ſimpliciores, tum, qui cum aliis partibus conſtitutiuis mixti ſunt. Itaque in calcareis occurrunt praeter cretam, calcareum et ſpathum calcareum, marga, gypſum, ſpathum ponderoſum, fluor mineralis, lapis ſuillus et hepaticus, et ſic in aliis. Petrefacta non vt ſingularem claſſem, ſed ſub eo lapidum vel minerarum genere contemplatur, in quod mutata ſunt. Sic etiam ſaxa montium et vulcanica producta ad ea lapidum

genera adiungit, ex quorum ſimilibus partibus conſtitutiuis mixta ſunt, vel quae maximam in eorum mixtione partem occupant.

p. 34. Terram gemmarum et ponderoſam, a Cl. BERGMANNO et SCHEELE diſtinctas, ſingulares et
p. 67. ſimplices eſſe dubitat. Spatum ponderoſum a gypſeo parum differre, et differentiam a terra ſilicea et aluminari, cum calcarea intime iuncta, pendere
p. 70. putat. Etiam in fluore minerali terram calcaream cum ſilicea, phlogiſto et acido coniunctam cenſet, quod acidum acidi vitriolici phlogiſto volatile facti et terra ſilicea iuncti natura magis, quam acidi ſalini praeditum ſit: interdum etiam terram aluminarem et martialem ineſſe. Lapidem arenarium calcareis ſubiungit. *Zeolitem* autem iis, quorum principium ſit terra ſalis amari: his etiam baſaltes ſubditur. Magneſium autem, aluta montana, mica cornea et ex hac compoſitus lapis (*Grünſtein*) ad argillaceos ab Auctore refertur. Praſium cum chryſopraſo coniunxit. Iaſpidem cum ſaxis exinde compoſitis, et ſpathum ſcintillans, vt et vulcanorum lauas lapidibus ſiliceis adiecit. In metallorum recenſione leuiora et inductilia primum, tum grauiora et ductilia contemplatur, hoc ordine arſenicum, niccolum, cobaltum, antimonium, bismuthum, zincum, hydrargyrum, plumbum, ſtannum, cuprum, ferrum, platina, argentum et aurum. Caeterum loca natalia copioſe indicat, ſcripta aliorum autem parce.

IX.

IX.

Die Geſchichte der Flußconchylien mit vorzüglicher Rückſicht, auf diejenigen, welche in den Thüringiſchen Wäſſern leben, von IOHANN SAMVEL SCHRÖTER. *Mit* II *Kupfertafeln. Halle, bey Johann Jacob Gebauer,* 1779. 8.

i. e.

Hiſtoria Conchyliorum fluuiatilium, praeſertim ratione habita eorum, quae in aquis Thuringiacis degunt, Auctore IOANNE SAMVELE SCHROETER.

Ideo hiſtoriae nomine edidit hunc librum Cl. Auctor, quod omnia collegerit, vtplurimum ex libris aliorum, quae de conchyliis fluuiatilibus ſcitu ſunt neceſſaria. Tribus ſectionibus abſoluit eandem, quarum prima ſcriptores, qui de fluuiatilibus quaedam commemorarunt, enarrantur, indicatis ſimul iis conchyliis, quae quisque deſcripſerit: ſecunda partes teſtarum et animalium recenſentur, atque tertia ſyſtematica ſpecierum expoſitio continetur. Nos, quae alii iam habent, omiſſis, Auctoris obſeruata proponamus.

Loco columellae *in Planorbe Purpura* MÜLL. p. 96. ſubtiliſſimam ſeriem lagenarum quaſi imbricatarum detexit. Atque Neritae ſcalas ſ. cameras obtinuerunt, quae ambulacris fulcri inſtar inſeruiunt. Optaremus ſane, vt Cl. Auctor ipſe cochlearum et concharum animalia ſecaſſet, quum partium deſcriptio ſic diſtinctior fieri potuiſſet. Sic etiam ſyſtema O. F. MÜLLERI, ex animalium ſtructura deſumtum magis placet, quam Cl. Auctoris, qui conchas ex cardinis dentibus, cochleas ex ſola teſtium figura definiuit. In enumeratione omnia conchylia fluviatilia

viatilia ab aliis deſcripta indicauit ſisque noua, a ſe obſeruata, addidit. Nos tantum indicemus ſpecies nouas, et eas, quas iconibus viuis, quae elegantiſſimae ſunt, et omnem plauſum merentur, illuſtratas deprehendimus.

p. 159. Tab. I. fig. 1. *Mytilus maximus planior virideſcens edentulus*: varietas, vti nobis videtur, *Mytili cygnei.*

p. 160. — — fig. 2. *Mytilus anatinus*, differentiam ſpecificam a *Mytilo cygneo* Cl. Auctor, in valvis planioribus, atque vulua ſ. rima anteriore hiante ponit.

p. 162. — III. f. 1. *Mytilus cygneus*, LINN. Inueniuntur ſaepe in valuis huius ſpeciei margaritae; quin in ipſo pallio animalis Noſter ſemel margaritam inuolutam animaduertit. *Mytilum radiatum* LISTERI cum O. F. MÜLLERO varietatem huius eſſe coniicit.

p. 165. — II. f. 1. *Mya arenaria* LINN. Noſter hanc cum *Mactra lutraria* LINN. coniungendam eſſe putat; nihil certi tamen definit. Omnino cardinis ſtructura attendenda eſt, quae autem ex icone, valuas ab extus repraeſentante, non iudicari poteſt.

p. 168. — IV. f. 1. *Mya margaritifera*, vbi et de eius locis natalibus et de origine margaritarum differit.

p. 178. — III. f. 2. 4. 5. *Mya pictorum.*

p. 181. — IX. f. 1. varietas latior praecedentis, ex *Grönlandia.*

— — f. 3. *Mya corrugata* O. F. MÜLLERI. Hiſt. verm. P. II. n. 398.

p. 182. — II. f. 2. *Mya teſta craſſa*: videtur nobis varietas *Myae margaritiferae.*

Tab. III.

Tab. III. fig. 3. et T. IV. f. 6. *Mya anguſta*, eſt var. *Myae pictorum*. O. F. MÜLL. H. v. P. H. p. 212. lit. V. p. 184.

— IX. f. 17. *Solen anatinus* LINN. Ideo, quod RVMPHIVS hunc in locis paludoſis habitare dicit, coniecit Noſter, eum ad conchas fluuiatiles pertinere. Caeterum RVMPHII iconem recte reprehendit. p. 185.

— II. f. 3. *Mya rhomboidea:* et haec nobis *Myae pictorum* videtur varietas. p. 186.

— IX. f. 2. *Area fluuiatilis* Auctoris. *Arca Pernula* O. F. MÜLL. *Berl. Beſchäft. IV. B. S.* 55. 57. Hanc ſpeciem in Norwegia habitare addit. p. 187.

— IV. f. 3. 4. 5. *Tellina cornea* LINN. ſ. *Tellina riualis* O. F. MÜLL. p. 189.

— — f. 2. a. b.

— V. f. 1. 2. 3. *Patella lacuſtris* LINN. ſ. *Ancylus lacuſtris* O. F. MÜLLER, a Noſtro ſemper in fluuiis repertus eſt, ideoque nomen triuiale reiicit. Ipſius animal etiam deſcribit. Ab ARGENVILLIO pars pallii minus recte diſſepimentum dicta eſt. p. 203

— — f. 4. a. b. *Ancylus fluuiatilis* MÜLL. p. 205.

— — f. 5-10. *Nerita fluuiatilis.* p. 210.

— — f. 11. a. b. *Nerita fluuiatilis ſubuiridis dentata.* Noua ſpecies, quam ex tenuitate teſtae fluuiatilem iudicat Auctor.

— IX. f. 4. 5. *Nerita ex flauo viridis lineis nigris vndatis.* MARTINI *Berlin. Magaz. IV. Band. Seit.* 276. in fluuio Salae prope Ienam inuenta. p. 213.

— V. f. 12. *Planorbis albus* O. F. MÜLL. H. v. H. p. 164. p. 225.

— — f. 13. *Helix planorbis* LINN. ſ. *Planorbis carinatus* O. F. MÜLL. p. 226.

Tab.

Tab. V. fig. 14. 15. Var. praecedentis *craſſior.*

p. 228. — — f. 16. 17. *Helix Vortex* LINN. *Planorbis Vortex* O. F. MÜLL.

p. 229. — — f. 18. *Planorbem . . . . 6 gyris rotundis circumſcriptum:* nouam ſpeciem habet Cl. Auctor, eamque ſiniſtris anfractibus praeditam eſſe affirmat. Animal eſt nigrum, tentacula longa, oculi nigerrimi: in quiete animal teſtam ad perpendiculum gerit, natando autem teſta horizontaliter poſita eſt.

p. 224.

p. 230. — IX. f. 13. *Helix cornu arietis* LINN. ſ. *Planorbis contrarius* MÜLL. H. V. P. II. p. 152. varietas faſciis 6 delineata eſt.

p. 233. — V. f. 16–20. 21. *Helix cornea* LINN. *Planorbis purpura* MÜLL. l. c. p. 154.

p. 239. — — f. 22–25. *Helix complanata* LINN. *Planorbis vmbilicatus.* MÜLL. l. c. p. 160.

— — f. 26. a. b. *Valuata criſtata* MÜLL. l. c. p. 198.

— — f. 27. a. b. *Planorbis nitidus* EIVSD. l. c. p. 163.

— — f. 28. *Planorbis albus* gyris rotundis globoſis; vix differre videtur a *Planorbe vmbilicato* MÜLL.

— — f. 29. *Pl. contortus* EIVSD. l. c. p. 243.

— — f. 30. *Pl. vmbilicatus coſtatus*, noua ſpecies.

— — f. 31. *Pl. vmbilicatus margine interrupto:* noua ſpecies ex *Rheno.*

p. 258. — VI. f. 2. T. IX. f. 14. *Helix ampullacea* LINN.

— IX. f. 6. *Cochlea globoſa fluuiatilis*, noua ad *Neritas* MÜLL. pertinens.

— V. f. 32. videtur nobis Planorbis, vt et f. 33. quae iam a MARTINIO *in Berl. Mag. IV. B.* T. VII. f. 16. deſcripta eſt. Idem valere videtur de T. V. f. 34. quam Auctor

Cochleam

Cochleam margaritiferam mucrone plano dicit.

Tab. V. fig. 35. Cochlea ſubumbilicata faſciata ſubrufa, eſt *Nerita* MÜLL. vt et *Tab. V. f.* 36. atque *Tab. VI. f.* 14. nouae tamen et a nobis ſpecies habentur.

— VI. f. 16. *Bulla fontinalis* LINN. *Planorbis* p. 269. *Bulla* MÜLL.

— — f. 3-6. *Helix auricula* LINN. ſ. *Buccinum Auricula* MÜLL.

— — f. 7. *Buccinum peregrum* MÜLL.

— — f. 11. *Trochus criſtatus* Auctoris, ſ. Cochlea depreſſa criſtata, GEOFR. forte pertinet ad *Valuatas* EIVSD. p. 280.

— — f. 10-12. nobis magis *Turbines* videntur, cum eorum apertura ſit orbicularis, quam *Trochi.* p. 282.

— — f. 9. *Buccinum ſiniſtrorſum marmoratum* Auctoris. p. 290.

— — f. 15. *Bucc. ſiniſtrorſum achatinum mucrone breui* EIVSD.

— — f. 8-11. *Bucc. amarula* MÜLL. l. c. p. 137.

— — f. 13. *Bucc. ſcabrum* EIVSD. l. c. p. 136.

— — f. 12. *Helix mitra*, muſ. Gronov. p. 128.

— — f. 1. *Buccinum achatinum* EIVSD. p. 140.

— VII. f. 1-4. *Bucc. ſtagnale* EIVSD. p. 132.

— — f. 9-10. *Bucc. paluſtre* EIVSD. l. c. p. 131. p. 308. T. VII. f. 7. varietas eiusdem, faſcia alba anfractus transeunte.

— — f. 8. *Helix fragilis* LINN. p. 309.

— — f. 6. *Bucc.* mucrone valde elongato, colore albo, *nouum.* p. 311.

— — f. 5. *Bucc.* primo anfractu ventricoſo, mucrone breui.

— IX. f. 10. *Voluta Auris Midae* LINN. eiusque varietas minor: videtur nobis magis cochlea p. 314.

lea terreſtris, quam fluuiatilis. cf. o. f. MÜLLER.

p. 317. Tab. VII. fig. 11. *Buccinum* albo cinereum primo anfractu ſubgloboſo: Noſtro a *Bucc. paluſtri* ſpecie differre videtur. Etſi autem huic cochleae 8 anfractus tribuat, nos tamen in icone 6 tantum numeramus.

p. 318. — — f. 12. *Bucc. globoſum* mucrone breui acuminato: nobis videtur varietas *Buccini auriculae.*

— — f. 13. *Bucc. truncatulum* MÜLL. l. c. p. 130.

p. 319. — — f. 14. *Nerita minuta* EIVSD. p. 179.

— — f. 15. *Bucc. glabrum* EIVSD. p. 135.

— — f. 16. *Bucc.* pellucidum anfractuum 4, ore amplo. A nobis varietas *Bucc. paluſtris* habetur; id quod etiam de fig. 17. eiusdem tabulae valet.

p. 321. — — f. 18. *Bucc. trochiforme* Auctoris; iusta formam, quam Auctor ſequitur, magis ad *Planorbes* pertinere videtur.

— — f. 19–22. *Nerita iaculator* MÜLL. l. c. p. 185.

p. 330. — VIII. f. 1. 2. *Nerita viuipara* EIVSD. l. c. p. 182.

p. 335. — — f. 3. 4. *Buccinum virgineum* EIVSD. p. 143.

p. 344. — IX. f. 16-18. 19. *Buccinum* caſtanei coloris, apertura ouato circulari: ex Grönlandia.

p. 350. — VIII. f. 6. a. b. *Buccinum acicula* MÜLL. l. c. p. 150. f. *Helix octona* LINN. quam Noſter circa Thangelſtadium inuenit.

— — f. 7. a. b. *Turbo* (ſiue potius *Buccinum*) *anfractibus 4 globoſis amplis.* Teſta eſt minima, inter arenam inuenta.

— — f. 8. *Turbo anfractibus 4 ſubgloboſis.* In huius et praecedentis ſpeciei icone tamen

5 an-

5 anfractus delineati ſunt; an ex errore ichnographi?

Tab. VIII. fig. 9. *Turbo anfractibus* 4, *mucrone obtuſo:* inuenitur circa Argentoratum.

— — f. 10. *Turbo ſimpliciter vittatus* ARGENVILL. quem tamen marinum eſſe magis eſt veriſimile. p. 356.

— IX f. 15. a. b. *Nerita elegans*, MÜLL. l. c. p. 177. p. 366.

— VIII. f. 14. *Strombus* (nonne magis *Buccinum* ex MÜLLERI, aut *Turbo* ex Auctoris ſententia?) coſtatus, et transuerſim ſtriatus: nouus ex *ora Coramandeliana.* p. 373.

— — f. 15. *Strombus muricatus et marmoratus* Auctoris: Hic et ſequentes ſunt ex familia *Stromborum turritorum* LINN. p. 379.

— IX. f. 9. *Strombus circulis granulatis cinctus.* p. 380.

— VIII. f. 13. *Strombus ſtriatus limbis muricatis cinctus.*

— — f. 11. 12. *Str. nodoſus, et ſubtiliſſime ſtriatus, ore recto anguſtiore.* p. 386.

Caeterum etiam quaedam conchylia ex GVALTIERO et MARSILIO recudenda curauit, atque appendicem nouorum, ſibi a SPENGLERO communicatorum, vti et icones et deſcriptiones domiciliorum, quae ſibi ſtruunt laruae *Phryganearum*, ſubiunxit.

X.

Beobachtungen über das Gebirge bey Königshayn in der Oberlauſitz. Dresden, 1780. *In der Waltheriſchen Hofbuchhandlung*, 71 *Seiten in* 4. *mit* 2 *Kupfert.*

i. e.

Obſeruationes ſuper iugo montium, circa *Königshayn* in Luſatia ſuperiori ſito.

Pagum Königshayn prope a *Gorlizio* in Luſatia ſuperiori ſitum, montium vicinorum cauſſa a nonnullis ſcriptoribus nominatur: cum tamen non niſi in tranſitu hi montes deſcripti ſint, Cl. Auctor plauſum et laudem meretur, qui breui et praeciſa oratione eos deſcripſerit, ſuasque ſuper iis obſeruationes palam fecerit.

p. 4. Nomina montium Königshaynenſium propria ſunt *Kämpfenberg*, *Hohſtein*, *Todtenſtein*, et *Schwalbenberg*, aliique minores *Steinberg*, *Hexenberg* et *Limberg* dicuntur. Altiſſimi ſunt qui a pugna (*Kämpfenberg*) et altitudine (*Hohſtein*) nomen acceperunt, etenim iuxta dimenſionem barometricam 600 pedibus Pariſinis valle, et 1200 pedibus planitie maris altiores ſunt, praeterea ad ſenſim ad-
p. 6. ſcendentes ſunt referendi. Lapis montium eſt *Granites*, in cuius fiſſuris cryſtalli montanae varii colo-
p. 8. ris reperiuntur. In montibus, ab altitudine et mortuis (*Todtenſtein*) dictis, rupes maximae, ad octoginta pedes altae, centenaque pedum amplae, in ſtrata diuiſae, vel horizontalia, vel obliqua conſpiciuntur, hisque montibus antiquam conciliant fa-
p. 15. ciem. Situs ſtratorum obliquus Cl. Auctori ex aqueis inundationibus productus videtur. Ipſae rupes limo, qui quarzo et mica mixtus eſt, inſident, quo aqua diſſoluto et ablato rupes in praeceps ruere vel inclinari neceſſum fuit. Praeterea fiſſurae
p. 18. ad perpendiculum rupes diuidunt. Has rupes nudas a principio obtectas fuiſſe molli et friabili materie, atque easdem ex molli tali ſabuloſa indurata
p. 25. ortas eſſe probabile videtur Auctori. Etenim rimae granitae perpendiculares lapide arenario indurato repletae ſunt. Quare cum hae rimae tum, cum granites adhuc mollior eſſet, oriri ſolum poſſent, arenarium etiam ſimul induratum, atque has
p. 29. rupes quondam arena tectas fuiſſe colligit. Hanc denuda-

denudationem eo tempore factam putat, quo vniverso orbis inundaretur diluuio. Atque totam de- p. 32.
scriptam regionem quondam, respectu altiorum montium, planitiem fuisse, montesque mediae magnitudinis ipsasque valles hac vniuersali inundatione demum nata esse: aquam, quae tum in duriores lapides legerit, eos denudasse, atque molliores lapides secum tulisse: quae quidem omnia ex conspectu ipsius regionis clarius pateant. Caeterum p. 35.
non esse probabile, aquam his in locis diu stetisse, sed subito defluxisse, indeque raritatem petrefactorum illic declarari. Etenim praeter echinitas quosdam et vestigia biualuium nulla ibidem reperiri.

Reliqua pars libri lectu dignissimi antiquitatibus his in montibus inuentis dicata est. Icones, egregia arte aeri incisae, sistunt vasa quaedam antiquata, et effigies quarundam aenearum figurarum tum potissimum prospectum montium, *a mortuis* et *a cuculo* (*Kukukstein*) dictorum, vt et totius regionis.

XI.

Von dem Drehen der Schafe und dem Blasenbandwurme im Gehirne derselben, als der Ursache dieser Krankheit, von NATHANAEL GOTFRIED LESKE. *Mit einer Kupfertafel*, 1780. *Auf Kosten des Verfassers, in Commission bey Joh. Gotfr. Müller.* 4 *Bog. in* 8.

i. e.

De vertigine ouium et Taenia hydatigena in cerebro ouium, vt caussa illius morbi, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE.

p. 5. Deſcriptis ſignis huius ouibus pernicioſi morbi anatomica diſquiſitione in multis ouibus inſtituta, in cerebro ouium ſemper hydatides inuentae, quae, cerebro extus integro membranisque tectis, varia loca cerebri occuparent, et vel numero vna
p. 9. vel plures adeſſent. Has hydatides non ſolum cauſſam huius morbi eſſe, ſed omnino animalia, et quidem Taenias eſſe, iis, quas iam TYSONVS *lumbrici hydropici* *), et Cl. PALLAS *Taeniae hydatigenae* **) nomine deſcripſerunt, ſimiles, attamen in
p. 20. eo diuerſae, quod in cerebrinis his Taeniis, quas *multicipites* nominat, plura corpuſcula capitaque vermis vni veſicae adhaereant, cum in illis ſingulo vermi ſingula etiam data ſit veſica. Adſentitur igitur Noſter iis, qui caput *Taeniae* adſcribunt, atque characterem Taeniae in capite veſiculis quatuor fugentibus, tuberculoque medio duplici hamulorum circulo inſtructo, quo infiguntur partibus Taeniae, conſiſtere demonſtrat. Plura, quae de origine, et multiplicatione aliisque circa hunc morbum cognoſcendum ſanandumque diſſerit Cl. Auctor, ex ipſo libro, vt et conformationem ipſius vermis ex icone Lectores cognoſcant neceſſe eſt. Id addimus, in his ouibus Noſtrum et in ſinubus frontalibus larvas Oeſtri ouini, quae tamen cauſſa morbi habendi non ſunt, cum non vbiuis reperiantur, etſi eundem augere poſſint, Faſciolas, *Taenias hydatigenas* in abdomine et pectore quoque reperiſſe.

Sub finem Cl. Auctor ſe primum huius Taeniae cerebrinae inuentorem eſſe demonſtrat; etſi Cl. GOEZII obſeruationibus hoc inuentum confirmari laetatur. Nos igitur huius in obſeruando ſtudioſiſſimi viri obſeruationes de Taeniis, quas pollicitus eſt, auide exſpectamus.

XII.

*) in Philoſ. Tranſ. no. 193. Vol. XVII. p. 506.
**) PALLAS elench. zooph. p. 413.

XII.

Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte von einigen Liebhabern dieſer Wiſſenſchaften. Erſter Band. Erſtes — ſechſtes Stück. Nebſt 3 Kupfern. Leipzig, in der Dyckiſchen Buchhandlung, 1778-1779. 2. Alph. 2. Bog. in 8.

i. e.

Collectio tractatuum ad Phyſicam et Hiſtoriam naturalem pertinentium. Volumen I. tabb. aen. 3.

Cum plures tractatus phyſici in exterorum libris reconditi ſint, quos Noſtrates non, niſi ex novellis litterariis, cognoſcere poſſint; hos hic colligere, atque ſimul obſeruationes notatu dignas breviores iis addere conſtituerunt Auctores huius collectionis. Nos igitur, cum omnino res, phyſicam ſcientiam maxime illuſtrantes, contineant, eorum, qui verſi ſunt ex alia lingua, tractatuum titulos, et nouarum obſeruationum ſummam indicabimus.

1) *Deſcriptio hygrometri*, a Cl. DE LVC *inuenti.* p. 5. Prima huius hygrometri deſcriptio continetur in relatione itineris a Cl. PHIPPS inſtituti *) deinde Auctor idem vberius ipſe deſcripſit, tractatumque, cuius verſio hic traditur, ROZIERI diario phyſico, Tom. V. Mai. 1775. p. 381. inſeruit.

2) Cl. DE CAROSI tentamen lithographiae p. 81. regionis *Mlocin* dictae, prope a Warſauia. E Gallico libello, cui titulus: *Eſſai d'une Lithographie de Mlocin.* Ecrit à Varſovie, 1777. à Dresde, 1777.

*) A voyage towards the nordpole, vndertaken 1773. London, 1774. 4.

plagg. 7. 8. epitome, earum rerum, quae ad hiſtoriam naturalem vniuerſalem ſpectant, omiſſis, quae locum ſolum concernunt *).

p. 105. 3) THOM. PERCIVAL *tentamina et obſeruationes ſuper effectis aëris fixi in colore et incremento plantarum.* Excerptus eſt hic tractatus ex philoſophicis EIVSDEM tentaminibus **). Aëri fixo, quem ex creta ope acidi vitriolici euoluit, expoſiti flores colore non mutabantur, in eo autem, qui ex fermentantibus humoribus euoluitur, teſtante PRIESTLEY, mutati ſunt: hanc effectuum diuerſitatem particulis heterogeneis, cum aëre fixo commixtis, adſcribendam eſſe cenſet. Vlterioribus expertus eſt tentaminibus aërem fixum non ſolum marceſcentiam plantarum impedire; ſed etiam pabulum iisdem ſuppeditare, quod ad ſuſtinendum incrementum plantarum aliquamdiu ſufficiat. Cl. Auctor igitur putat etiam per radices aëre fixo maxime nutriri plantas.

p. 121. 4) EIVSD. *obſeruationes de variarum fimi ſpecierum agendi ratione.*

Pars II. 1) P. S. PALLAS *obſeruationes ſuper montium formatione, mutationibusque globi terraquei, praeſertim quoad imperium Ruſſicum.* Verſio ſingularis libelli ***), qui cum ad manus noſtras non venerit, ſummam eiusdem hic recenſere licebit, etſi omnino digniſſimus eſt, qui totus diligenter legatur, adeo obſeruationibus diues eſt. Confirmat vero hic, Cl. Auctor ſummos

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 35.

**) Philoſophical, medical and experimental eſſays. London, 1776.

***) *Obſervations ſur la formation des montagnes, & les changemens arrivés au globe. à St. Petersb.* 1777. 4.

mos montes atque probabiliter eorum nucleum ex Granite componi, cuius formationem definire non audet, etsi eum fusione formatum esse pronus est, vt statuat. Describit deinde iugum montium Vralense et Altaicum, eorumque extensionem et directiones. Huius summum cacumen altissima pla- p. 153.
nities est, ex qua tamquam ex centro quatuor catenae montium oriuntur, quarum prima, *Mussart* dicta meridiem versus extensa cum montibus Tibeti nectitur, altera minor *Alac* versus occidentem inter desertum Tatarorum et Bukariam diuiditur, cum Vralensibus montibus cohaeret, et in montes Persicos finitur; tertia *Khanghei* orientem versus, trans Mongaliam in Catena *Corea* atque in montibus Iapanensibus finitur; quarta demum *iugum Altaicum* proprie dictum fines Sibiricos ab Irtycz vsque ad Amur efficit. Centrum huius montium catenae p. 148.
atque eiusdem valles australes, primum locum habitabilem globi terraquei fuisse demonstrat. Iugi p. 163.
Altaici pars septentrionem versus vsque ad mare glaciale extensa in duas series diuiditur, quarum altera meridiem versus Kamtschatkam transcurrit, atque copiosis vestigiis montium igniuomorum insignitur; altera magnum *caput Czukczi* cum promontoriis et oris efficit. *Montes schistosos*, quorum p. 166.
lapides sunt quarzei et talcosi (haud dubie huc *Gneissum* Saxonum pertinet,) serpentinus, schistus corneus, spathum, lapis corneus, arenariusque purus, porphyrites et iaspis, etiam primarios esse demonstrat. Concomitantur iidem priores, Granitem immediate tegunt, minerisque praesertim diuites sunt, et petrefactis carent.

Montes secundarios calcareos et *argillosos stra-* p. 169.
tosos cum aliis esse obseruauit. Strata argillacea autem calcareis semper sunt profundiora, vtraque autem petrefactis marinis repleta. Hic simul mo-

net prototypos Ammonitarum et Belemnitarum ideo nondum esse detectos, quod haec animalia non nisi in altissimo maris abysso viuere possint: Falsum quoque esse, petrefactorum Europaeorum prototypos ex Indicis maribus huc esse delatos, cum mare septentrionale et mediterraneum eadem in abysso etiam foueat. In stratis argillosis maxima pyritum copia reperitur, quos ex putri resolutione animalium et plantarum marinarum in omni maris abysso nasci ait, atque ex iisdem montium igniuomorum originem quoque deriuat. Ex stratorum calcareorum et argillaceorum consideratione sequitur omnem planitiem magni imperii Russici quondam maris fundum constituisse: summos autem primarios montes nunquam marina aqua fuisse obtectos.

p. 178. Maxima denique *montium tertiariorum*, qui nouissimarum globi terraquei mutationum sint effecta, series iuxta Vralensis iugi longitudinem excurrit. Componuntur iidem ex lapide arenario, marga, et aliis materiis, suntque a montibus calcareis vbique valle separati, atque saepe ad altitudinem 100 perticarum elati in planitiem multis seriebus collium, fluuiis separatorum, expanditur: copiosissimi sunt in Orenburgensi districtu atque Permia, ibique ex arenario, cupri mineris feto, constant: in collibus margaceis lapides gypsei, qui fontium sunt indices, copiose reperiuntur. Priores pauciſſima vestigia corporum marinorum, at maximam copiam petrefactarum arborum aliarumque plantarum, praesertim Indicarum, tum etiam animalium terrestrium, ossa Elephantum, et Bubalidum cum Piscium sceletis, in se fouent; illic denique totus Rhinoceros *) etiam inuentus est.

p. 182. His obseruationibus hypothesin subiungit, qua praesens telluris status explicatur. Ex Grani-

tae

*) vid. nov. Comm. Acad. sc. Petrop. Vol. XVII. 1772.

tae diſſolutione primos aceruos arenae et micoſi luti, quae lapidem arenarium et ſchiſtum montium primariorum componunt, orta eſſe: eodemque tempore ab aequore corpora phlogiſtica et ferifera ex putrefactis marinis animalibus et plantis orta, verſus littora montium acta, in ipſa ſchiſtoſa et arenacea ſtrata penetraſſe, pyritas illic depoſuiſſe, ſicque primorum vulcanorum locum formaſſe, qui demum ſucceſſiue in diuerſis mundi partibus eruperunt. Ab his vulcanis, per innumera ſaecula dirutis, ſtrata iam indurata, ſub quibus erupere, diffracta, atque materias eorum igne vel fuſas, vel calcinatas, indeque partim primarios montes ſchiſtoſos, partim calcareos, qui petrefactis careant, ortos eſſe. Ex eodem tempore caua, fiſſurasque deriuanda eſſe, quae poſtea lapidibus minerisque repleta venas conſtituerint. Haec effecta vulcanorum in nonnullis locis, et praeſertim in mari eiusque propinquitate ad noſtra vſque tempora continuaſſe: hinc nouas etiam Inſulas ortas, et inde alpes calcareas elatas eſſe. Sic et maris fundum magis eleuatum, et littora continentis terrae ex diſſolutione Granitae aliorumque lapidum, imo animalium plantarumque aucta, ipſi mari arctiores limites poſuiſſe. Hanc tamen diminutionem maris non ſufficientem, quin potius alias adhuc diſcuſſiones globi terraquei ſubſecutas eſſe, quibus inundationes terrarum iam inhabitatarum, immo montium effectae atque ſic terrae continentes materiis ex aqua praecipitatis auctae ſint. Harum inundationum directionem teſtari in mari Indico cauſſam, nempe vulcanos illic reperiundos, primariam earundem quaerendam eſſe.

Praeterimus plura, quae Zoologiam et phyſicam Geographiam attinent, obſeruata Cl. Au-

 ctoris,

ctoris, ad quae legenda naturae ſtudioſos relegamus.

p. 196. 2) Cl. MONNET *diſquiſitio fluoris mineralis quoad eius acidum:* ex Gallico ROZIERI diario phyſico, Octobr. 1777. translata. Cl. SCHEELII *) et BOVLANGER (quod fictum nomen, Auctorem vero Cl. D'ARCET eſſe ait) fluori minerali ſingulare acidum tribuerunt. Cl. Auctor experimenta eadem repetiit, aliaque addidit, atque exinde collegit, *nullum acidum ſpecificum in fluore minerali contineri*, ſed acido vitriolico nihil, niſi *id ipſum cum terra fluorii mineralis arcte coniunctum* deſtillatione expelli. Neque etiam acidum vitriolicum in hoc fluore eſſe. Naturam huius terrae Cl. Auctor non indicat, quarzi autem partem in eo eſſe experimenta docent.

p. 224. 3) Excerpta hiſtoriam naturalem Americanarum Inſularum *St. Thomas, St. Croix*, et *St. Jean* attinentia, ex OLDENDORPII Hiſtoria miſſionis fratrum euangelicorum **).

p. 241. 4) *Altitudo montis Aetnae ſupra Cataniam* ex BRYDONE obſeruationibus, *methodo* Cl. DE LVC dimenſa. Erraſſe BRYDONVM hic demonſtratur; ex eius obſeruationibus enim ſequeretur altitudinem montis Aetnae 20 milliaria aequare, quam tamen ipſe duo parum ſuperare dicit.

p. 255. 5) Indicatur liquorem probatorium vulgarem non ſemper eſſe ſignum certum vini per plumbum

*) *Geſchichte der evangeliſchen Brüder auf den caraibiſchen Inſeln St. Thomas, St. Crux, & St. Jean. Barby.* 1777. 8.

bum defraudati: etenim et ferri aliorumque metallorum vino solutas partes nigrum vel simile obscurum sedimentum praecipitare.

1) D. IOANN. HEDWIG *Summaria relatio suarum observationum, verum sexum muscorum eorumque propagationem manifestantium.* Etsi paucis scriptis, tamen multis observationibus cum aliis Botanicis communicatis, Cl. Auctorem, vt oculatissimum botanicum, cognoscimus, atque eidem omnino haec laus et gloria manebit eum *primum* et *verum* esse *verorum florum in muscis inuentorem.* Nouimus quidem Cl. KOELREVTERVM nuper edidisse librum lectu dignissimum super flores omnium plantarum Cryptogamicarum *): sed, vt taceamus, Cl. HEDWIGIVM, KOELREVTERO prius, flores muscorum inuenisse **); ipsa KOELREVTERI observata rem non satis tetegerunt. Igitur, iuxta HEDWIGII sententiam, ea genera plantarum, quae LINNEVS ad *muscorum* ordinem refert, hoc nomine tantum sunt appellanda, *Lycopodio* tamen excepto. Tempus, quo musci florent est tum, cum alii rami vel iidem rami aliis locis fructus maturos gerunt. Etenim demonstrat Cl. Auctor capsulas, quas LINNEVS antheram habuit, vera esse pericarpia. Quod si igitur partes rosae, stellae, vel gemmae forma praeditae microscopio simplici disquiruntur, et guttulae aquae induntur, corpuscula cylindrica, puluerem globosum emittentia, intra foliola latere conspiciuntur: haec corpuscula veras esse antheras demonstrat. Locum habent vel in axillis ramorum, intra folium et caulem vt in Hypnis, vel in summitate ramorum,

P. III. p. 259. p. 266.

*) vid. EIVSD. *Entdecktes Geheimniß der Cryptogamie.* Carlsruhe. 1777. 8. v. comm. nostr. Vol. XXIII. p. 247.

**) cf. epistola CHR. FR. LVDWIG de sexu muscorum detecto. v. ibid. p. 251.

p. 269. rum, vt in *Bryis*. Haec corpuſcula ſ. has antheras in omnibus ſpeciebus, quas diſquiſiuit, animaduertit, easque ſemper comitantur fila articulata, vel cylindrica, vel clauata, ſuccifera. Eodem tem-
p. 270. pore, quo mares florent, etiam feminini flores vel in ſummo caule, e. g. in *Bryo* et *Polytricho*, vel etiam in axillis inquirendi ſunt. Cum perichetium, quod calycis locum habet, partes floris cingit, tum feminini flores maſculis ſunt longe anguſtiores. Hic autem ſemper *germen* ſ. rudimentum fructus, *ſtylus* et *ſtigma* conſpicitur. Has partes ſaepe aliae circumdant, vel germini ſimiles, at pedicellatae, quas vel nectaria, vel adductores eſſe putat, vel fila ſuccifera ſemper cylindrica: interdum autem, vt in *Mnio hygrometrico* LINN. deficiunt.

p. 272. Pauci muſci floribus hermaphroditis inſtruuntur, e. g. *Bryum pomiforme, trichodes* LINN.: plures ſunt monoeci, vt *Bryum ſtriatum, puluinatum;* longe plures autem ſunt dioeci: atque pauci etiam polygami ſunt, e. g. *Mnii* noua ſpecies.

p. 273. Germine foecundato, idem augetur, ac paulo poſt calyptra apparet, quam corollae ſ. petali locum
p. 276. fuſtinere aſſerit. Vberius deinde capſulae diuerſitatem, quoad periſtoma, recenſet, ac experimentis docet, puluerem in iis contentum verum muſcorum eſſe ſemen, quod vera aculeata epidermide tegitur, et ſimplici cotyledone inſtruitur. Ruit igitur HEDWIGII dictum: propagines muſcorum eſſe nudas et acotyledones. In tabula addita ex *Bryo pomiformi* partes omnes deſcriptae diſtincte et eleganter ſat aucta magnitudine delineatae ſunt.

p. 282. 2. 3. 4) PRIESTLEY de aëre fluoris mineralis, verſa ex EIVSD. *Experiments and obſeruations on different kinds of airs.* Cl. Auctor experimentis demonſtrare vult, acidum ſic dictum fluoris mineralis, nihil

nihil esse, nisi oleum vitrioli, phlogisto ita saturatum, vt forma aëris prodeat, quod tamen simul terrae quandam partem contineat.

5) Breuis *Lyncis Americani* aliorumque quorundam animalium descriptio, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE. Animal, quod hic describitur, a BVFFONO *Lynx Canadensis* *) dicitur: atque a vulgari differt auribus breuioribus, corpore supra flauo griseo, subtus albo nigro maculato. Animal mortuum Cl. Auctor secuit, atque atheroma hepatisque inflammationem, et denique calculos vesicae, quorum superficies erat crystallisata, inuenit. Praeterea, quasdam animaduersiones subiungit, quae *Simiam Marmonem*, *Panisçum*, et *Capucinum*, tum et *Lemurem Cattam et Mongoz*, *Felem Leonem*, *Tigrem*, *Leopardum* et *Pantheram* spectant. p. 325.

6) *Zoologicae obseruationes excerptae* ex supplementorum ad historiam naturalem BVFFONII Tomo III. p. 333.

7) *De influxu musices in animalia* excerptum ex EIVSD. supplementorum Tomo IV. p. 341.

8) Cl. BRVCE. *obseruata super hominum varietatibus*, ex eorundem supplem. Tomo IV. p. 347.

9) BVFFONII *de tussis luscitatis*, ex iisdem mutuata tractatio. p. 352.

1) De variis minerarum collectionibus, quas completum museum mineralogicum contineat, Auctore ABRAHAMO GOTTLOB WERNER. Non superua- P. IV. p. 387.

*) vid. EIVSD. Hist. naturelle générale & particuliere: Supplement. Tome III. à Paris. 1776. 4. p. 229.

peruacuum, ſed ſane laudabilem laborem in ſe ſuſcepit Cl. Auctor, cum hoc tractatu minerophilos doceat, qua ratione mineras colligere debeant, ſi exinde vtilitatem nanciſci cupiant. Conſtat enim inter omnes longe plurima muſea vel iuxta hoc illudue ſyſtema eſſe ordinata, non vero ita, vt quodlibet fruſtum ſingularem ob finem hunc vel illum locum habeat. Itaque quinque collectiones neceſſarias ad completum muſeum mineralogicum exiſtimat: 1) *collectionem foſſilium, iuxta characteres externos.* Hic ea foſſilia ſunt ſeligenda, in quibus characteres omnes facile et clare cognoſci poſſunt, et eo ordine ſunt locanda, quo characteres ipſi ſe inuicem ſuſcipiunt *). Talis collectio viua eſt characterum explicatio. 2) *collectio methodica*, in qua foſſilia iuxta ſyſtema naturale in genera et ſpecies diuiſa, ita iuxta ſe locantur, vt in ſyſtemate ſe ſequuntur, atque ſingula ſpecies ita, vt omnes varietates quoad characteres externos eo ordine ſe excipiant, quo ipſi characteres in ſenſus noſtros cadunt. Methodica collectio non nimis ampla ſit oportet. 3) *phyſica collectio*, quae reſpicit doctrinam de montibus. In ea igitur lapides montium primariorum, deinde ſtratoſorum, tum Vulcanicorum, et demum tertiariorum ſequantur: atque iuxta ſingulos, foſſilia e. g. minerae, quae in ſingulis reperiuntur, et poſt foſſilia, ſtratoſorum petrefacta locanda ſunt. 4) *collectio geographica*, in qua foſſilia, quae in diverſis terrarum regionibus, eo ordine, quo in ſingulis fodinis effodiuntur, ordinanda ſunt. 5) *collectio oeconomica*, in quam ea foſſilia tantum pertinent, quae ob vſum vel in oeconomia, vel in opificiis, vel in metallurgia, cognoſcenda ſunt.

2) 10.

*) vid. WERNERI *von äuſſern Kenzeichen der Foſſilien.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

2) IO. HVNTERI tentamina cum animalibus et plantis circa vim calorem excitandi: ex *Philoſ. Tranſact.* p. 420.

3) *De variis vermium ſpeciebus, ex quibus Purpura parari poſſit.* Indicantur hic omnes a zoologis deſcripti purpuram fundentes vermes, atque nouum a MARITIO, in eius *itinere trans Cypriam Syriam et Palaeſtinam* indicatum molluſcum deſcribitur atque icone depingitur. p. 436.

4) Deſcriptio nouae minerae argenteae, Auctore ABRAHAMO GOTTLOB WERNER. Dicitur a Cl. Auctore *Argentum arſenicale*, quod his characteribus externis ſe ab aliis diſtinguit. Colore eſt *albo*, ſtanni albedine; aëri expoſitum ab extus flauescit, et argenti candorem aſſumit: *ſolidum*, et aliis foſſilibus *inſperſum*, interdum *piſi forma* et *reniforme* inuenitur: ſic etiam *priſmatibus hexaëdris truncatis tenuibus*, vel *hexaëdris pyramidibus* cryſtaliſatur: extus *nitet*, interior nitor maior eſt, vterque autem metallicus: textura eſt *lamelloſa*, atque in ſeparatis *fruſtulis granulatis*, ſi ſolidum eſt, occurrit; in *fragmenta indeterminate angulata* diſſilit, eſt *molle*, *ſubſciſſile* atque *grauiſſimum*. Reperitur *Andreasbergae* in Hercynia, et *Wittichen* in *Fürſtenbergica* ditione. In priore loco a metallicolis *argentum natiuum* vel *cobalticum* dicitur. p. 454.

5) *Tractatus, theoriam et praxin electricitatis complectens, additis nouis experimentis* Auctore TIBERIO CAVALLO: ex Anglico Auctoris libro *) verſa epito- p. 460.

*) A complete Treatiſe of Electricity in theory and practice, with original experiments, by TIBERIVS CAVALLO. London. 1777. 8.

epitome: Ipſe etiam liber ſeparatim Germanice prodiit *). Nos, cum vterque non ad manus noſtras venerit, hic ſumma libri capita indicemus. Pars prima libri continet *axiomata* electricitatis, ex obſeruationibus abſtracta: igitur terminis artis explicatis, corpora idioelectrica et conducentia, phaenomena et leges poſitiuae et negatiuae electricitatis, adminicula innatam electricitatem excitandi hic recenſentur. Deinde communicatam electricitatem Cl. Auctor conſiderat, eiusdemque phaenomena, ſi idioelectricis corporibus communicatur, et in Lugdunenſi lagena. Electricitatem atmoſphaerae atque commoda, quae in ſocietatem humanam ex electricitate redundarunt, ſubiungit. Pars altera *theoriam* electricitatis ſ. coniecturas de cauſſis phaenomenorum continet. Hic FRANKLINI et BECCARIAE theoriae recenſentur, atque laudantur. Naturam electricae materiae cum HENLYO ſic explicat, vt phlogiſton, electricitatem, et ignem, tres diuerſos ſtatus ſ. modificationes vnius elementi ſtatuat, quarum relatio ad ſe inuicem ſit vt quies, ad primum gradum actiuitatis, et motum impetuoſum. De *natura conductorum* PRIESTLEYI ſententiam **), qua phlogiſto corporum conducens vis tribuitur, aſſumit. Caeterum in conductoribus et idioelectricis corporibus electrica materia per totam maſſam eſt diſperſa; ſi autem ea corporibus eſt communicata, in ſuperficie corporum haeret. Tertia parte practica dogmata et electrica tentamina traduntur.

*) *Vollſtändige Abhandlung der theoretiſchen und praktiſchen Lehre von der Elektricität, nebſt eignen Verſuchen, mit 3 Kupfern. Leipz.* 1778 8.

**) in libro: Obſerv. on different kind of airs Vol. II. Sect. 14. cuius libri verſionem Germanicam curauit Cl. CHRIST. LVDWIG. M. D.

duntur. Primo inſtrumenta, dein regulae in tentaminibus obſeruandae, denique ipſa experimenta aliorum. Quarta et vltima parte ab Auctore inſtituta noua tentamina narrantur: quae et atmoſphaerae electricitatem, tum *dracone electrico*, tum *electrometro atmoſphaerico*, tum *electrophoro* nouo inſtituta, et colores, et varia alia concernunt.

6) *Excerptum ex litteris Cl.* MAGELLANI *ad* p. 477.
Cl. PRIESTLEY *ſuper machinis vitreis ad parandas arte aquas minerales; in quo ſimul noui eudiometri ſ. machinae qualitates aëris metiendi deſcribuntur* *). Hic tractatus, in quo multa, PRIESTLEYI experimenta aërea illuſtrantia, continentur, ipſe legatur neceſſe eſt.

7) *Relatio de noua, ſeſe mouente, planta,* Au- p. 502.
ctore IO. EHRENFR. POHL, M. D. Mirandum omnino phaenomenon hic deſcribit Cl. Auctor, atque dolendum eſt, plantam hanc nondum floruiſſe, vt eius naturale genus etiamnum ignoretur. Interim folia ternata, atque habitus, eam ad *Hedyſari* genus referendam eſſe, videntur indicare. Phaenomenon eſt hoc: Foliola duo ſurſum erecta alternatim in planum ſitum deſcendebant, et tum recta deorſum mouebantur; atque dum alterum deſcendebat, alterum oppoſitum adſcendebat; eundemque motum varia folia in ramis diſperſa exſerebant. Planta, calidis regionibus indigena, etiam in tepidario colebatur, menſeque Iunii prima vice motum oſtendebat, Iulii menſe, calore maiore, hic motus accele-

*) Deſcription of a glaſſ apparatus, for making Mineral waters: together with the deſcription of ſome new Eudiometers: by I. H. DE MAGELLAN. Lond. 1777. 8. pagg. 47. cum tab. aen. 1.

accelerabatur: Auguſti menſe, iam frigidiore et humido, imminuebatur. Motus hic non ſtato tempore, ſed vel meridie, vel mane, interdum etiam verſus veſperam obſeruabatur. Neque a calore pendere videbatur: nam calidis diebus ſaepe plane non, aliis frigidioribus autem omnino foliola ſeſe mouebant. Hic igitur foliorum motus plane eſt diuerſus a motu foliolorum *Mimoſarum* vel *Dionaeae*, quae non, niſi ab alio corpore tacta, contrahuntur: in hac vero planta foliola ſponte, igitur ſolo motu fluidorum, hunc alternantem motum, ſ. aſcenſum et deſcenſum exercent. Phaenomenon adeo ſingulare, et magis obſeruandum, neque Cl. Auctor, neque nos explicare audemus.

p. 507. 8) *Quaeſtiones ſuper Serpentum, in Germania habitantium, ſpeciebus.* Dubius cum adhuc numerus ſit ſerpentum in Germania: Anonymus his quaeſtionibus alios excitare vult, vt naturam et diuerſitatem horum animalium magis ſollicite rimentur. Subſcribimus in eo Auctori numerum *ſcutorum* et *ſcutellorum* in ſpeciebus ſerpentum eſſe variabilem. Iconem MEYERI de capite *Colubri Natricis* falſam et ſuppoſititiam eſſe cenſemus: nam et iuxta noſtra obſeruata is telis veneniferis caret. *Anguem fragilem* telis carere vidimus. Et nos cum Auctore dubia habemus LAVRENTI experimenta, quibus *Coluber Berus* veneni expers dicitur; igitur eadem ſaepius diligentiusque repetenda eſſe cenſemus.

Pars V. p. 519. 1) Excerpta tentamina cum Phoſphoris eorumque coloribus ex WILSONI libro, cui titulus: *A Series of Experiments relating to Phoſphori and their priſmatic colours*, by B. WILSON. Lond. 1775. Quae cum inter plures iam nota eſſe putamus, hic recenſere ſuperfluum ducimus.

2) *Epi-*

2) *Epitome tractatuum, qui in Philoſophicarum Tranſactionum Vol. LXVII. continentur* *). p. 552.

3) *Verſio tractatus* Cl. MVDGE *ex Philoſ. Tranſ. Vol. LXVII. p.* 296. de compoſitione metallicorum ſpeculorum ad Teleſcopia **).

4) HVDDARTI *obſeruatio hominum, qui colores diſcernere non poterant* ***).

1) *Relatio de methodo, puncta certa Thermometrorum definiendi* †). P. VI. p. 643.

2) Cl. KÖLPIN *breuis tractatus, hiſtoriam naturalem Pomeraniae* ſpectans: Continetur quidem iam in Topographia Pomeraniae, a Cl. BRÜGGEMAN edita; phyſicorum vero in gratiam huic diario inſertus eſt, eſtque omnino lectu digniſſimus: etſi plura etiam, praeſertim ſingularium corporum naturalium hiſtoriam concernentia addi poſſe cenſemus. p. 679.

3) HVBERTI FRANC. HÖFERI *tractatus ſuper naturali ſale ſedatiuo, Toſcanae detecto, et ſuper Borace hinc parando verſus ex Italico idiomate* ††) a FRANC. DE WASSERBERG. Acceptam omnibus fore breuem huius notabilis inuentionis epitomen ſperamus. Noua experimenta etiam promittit Cl. DE WASSERBERG, atque ſe Hoeferiana repetiiſſe veraque p. 700.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 579.
) v. ibid. p. 586. *) v. ibid. p. 585.
†) vid. ibid. p. 590.
††) Titulus eſt: Memoria ſopra il Sale ſedatiuo naturale della Toſcana, e del Borace, che con quello ſi compone, ſcoperto da VBERTO FR. HOEFER. Fiorenza. 1778.

veraque inueniſſe teſtatur. Suis experimentis perſuaſus eſt, ſal ſedatiuum ex terra, acido ſalis et parte
p. 715. aliqua acidi phoſphorei conſtare. Cl. HOEFER hoc ſal ſedatiuum, ex aqua lacus *Cherchiajo*, prope a *Monte rotundo* obtinuit, cum aquam eiusdem emporaret. Coniicit igitur idem ſal in lacubus prope a *Saſſo*, et *Monte cerboli* aliisque reperiri. Hoc ſal cum ſale culinari et nitro ſeparatim ſublimationi ſubmiſit, atque alcalinam partem poſteriorum ſalium cum ſale naturali iunctam boracem conſtituere expertus eſt. Subiunctae ſunt litterae Cl. CRANZII, inuentori laudes decernentes, et teſtimonia rem confirmantia continentes.

p. 731. 4) SHVKBVRGHII *iter in montem, Mole dictum, prope a Geneuis*, ex Philoſoph. Tranſact. Vol. LXVII. P. II. *).

p. 738. 5. 6. 7) BVFFONII hypotheſes ſuper directione iugorum montium, eorum origine et altitudine, ex EIVSD. Supplement. ad hiſtoriam naturalem. Tom. IX.

p. 739. 8) *Excerptum ex litteris, Petropoli datis.* Anonymus aſſerit iugum montium ſeptentrionale, ad mare album vicinum, neque eſſe conglomeratum a globi terraquei conquaſſationibus, neque ſtratoſum: ſed potius ad montes primarios ſimplices pertinere.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 589.

XIII.

Fasciculus animaduersionum physiologici atque mineralogico-chemici argumenti. Auctore CAROLO HENRICO KÖSTLINO, Phil. et Med. Doctore, Acad. Florent. et Societ. Teuton. Ienens. Membro. Stuttgardiae, apud I. B. Mezlerum, CIↃIↃCCLXXX. 4. plagg. 5 ½.

I. *Disquisitio obseruationum Cl.* DELLA TORRE *de figura molecularum cruoris sanguinis.* p. 7. Vsus est, vt satis constat, Cl. DELLA TORRE, Physices apud Neapolitanos Professor, ad sua cum sanguine instituta tentamina vitreis lentibus, seu potius globulis, quibus obiecti diameter magis augetur, quam omnibus fere hactenus inuentis microscopiis *), edoctusque hac ratione fuit, moleculas istas cruoris sanguinis, quas pro globulis habuerunt Physiologi, anellos potius cylindricos, eosque complanatos esse, qui rursus ex 3-6 particulis oblongis cylindriformibus seu vesiculis, quae in maiorem annularem sacculum abeant, vicissimque discedant et separentur, compositi sint. Atqui haec ipsa experimenta nuper, KOESTLINO praesente, DELLA TORRE repetiit, eorumque euentu effectum est, vt de sphaerica molecularum sanguinis forma KOESTLINVS ipse subdubitaret. Nihilo tamen minus accuratius in hanc rem inquirere, veramque causam, cur ab aliorum doctorum hominum experientiis Physici Neapolitani obseruationes valde recederent, detegere sibi Noster proposuerat; quam ob rem cum vitreis globulis variae diametri, quos ab ipso DELLA TORRE acceperat, humanum sanguinem examini denuo subiecit. Etsi autem ingenue fatetur, euentum suo-

*) Conf. comment. nostr. Vol. XV. P. I. p. 71.

rum tentaminum experientiae DELLA TORRE fere prorſus reſpondiſſe, tantum tamen abeſſe cum Cl. FONTANA *) arbitratur, vt huiusmodi vitreorum globulorum ope vera et naturalis molecularum ſanguinis forma cognita reddi poſſit atque perſpecta, vt illi potius imaginem obiectorum omnino mutent.

p. 13. Etenim cum globulos ex vitro colore vario, eoque potiſſimum rubro tincto paratos, qui tam parui erant, vt oculo nudo vix poſſent conſpici, per apparatum microſcopicum DELLA TORRE contemplaretur, eos pariter in medio aliquantum tranſparentes apparuiſſe animaduertit; hinc, inquit, dubitandum non eſt, quin huiusmodi globuli, ſi tam minuti, qui ſanguineos globulos perfecte repraeſentarent, poſſent reddi, annulorum forma omnino conſpicui fierent.

p. 16. II. *Examen mineralogico-chemicum materiei, quae Herculaneum et Pompeios ann. aer. chriſt. LXXIX ſepeliuit.* In hac diſſertatione *Koeſſlinus* primum de natura illius materiei, qua *Herculaneum* et *Pompeii*, TITO imperante, obtegebantur, diſputat, et deinde argumentis variis probare annititur, aquam in horrenda hac Veſuuii eruptione magnam habuiſſe efficaciam. Eſt autem illa materies ex Puzzolana, ſeu puluerulentis cineribus, et topho vulcanio, ſeu cineribus ad ſe inuicem conglutinatis, quibus pumices et fragmenta lauarum poroſarum et ſolidioris generis inſperſa ſunt, mixta, eaque *Herculaneum* profundius ſepultum iacet, quam *Pompeii*. Ceterum ii cineres, qui *Pompeios* tegunt, gryſei et nigricantis coloris ſunt, iisque, praeter pumices et lauarum fragmenta, granati albi, opaci et quandoque ad angulos tranſparentes, qui magne-

*) Comment. noſtr. Vol. XVII. P. II. p. 242.

magneticam acum haud attrahunt, immixti deprehenduntur. Magnitudo horum granatorum non ſemper eadem eſt; maximi, quos Noſter vidit, pollicem in diametro aequabant; praeterea alii duritie granatis ſolemni gaudent, et ad chalybem ſcintillant, alii vitrea quidem vtuntur ſuperficie, admodum tamen fragiles ſunt; alii porro cryſtallinam, alii e contrario, iique potiſſimum minores ſphaericam figuram habent; immo ſunt, qui nucleum ex cineribus et topho in centro incluſum teneant. (Illi materiae, qua *Herculaneum* obrutum eſt, granati immixti nulli ſunt; certe KOESTLINVS haud vllos reperire in ea potuit, neque meminit auctoris, qui de illis mentionem feciſſet.) Iam, quo modo hi ci- p. 20.
neres ex Vulcano eo locorum fuerint delati, Noſter diſquirit, variisque rationibus commotus aſſeuerat, ignis atque elaſticorum vaporum vi eos imbris ad inſtar haud fuiſſe proiectos; nam omnes Pompeianae, et nonnullae Herculaneenſes domus, immo parua, eaque clauſa, neque in ſuperiori parte rupta cubicula tophi plena inuenta ſunt, qui ingredi ea omnino non potuiſſet, ſi ſub cinerum forma ex alto fuiſſet lapſus. Accedit quod Pompeianae antiquitates ab igne nullum fere detrimentum paſſae eſſe videntur, cuius quippe ſigna exhibere vtique deberent, ſi cinerum imber hoc oppidum obruiſſet; namque huiusmodi pluuiae vtplurimum candentes cadunt, ita vt Neapolis eam ipſam ob cauſam ſaepenumero incendii pericula patiatur. Hinc, inquit Noſter, vero omnino non eſt ſimile, meros cinerum imbres illa loca ſepeliuiſſe, ſed multo expeditius omnia explicari poſſe cenſet, ſi limoſa eruptio (*eruption boueuſe*) aſſumatur, neque tamen ea mera, ſed ita, vt imber cinerum et fragmentorum lauarum cet. ſimul locum habuerit. Hunc vero imbrem potius ſuper *Herculaneum*, et aquoſam eru-

ptionem ſuper *Pompeios* veniſſe ex eo Auctor colligit, quod in priori vrbe plures, quam in poſteriori, incendii reliquiae repertae ſunt. Reliqua argumenta, quibus Cl. Auctor ſuae opinioni robur addere ſtuduit, quemadmodum etiam varia limoſarum eruptionum exempla, quae laudauit, ſilentio prae-
p. 26. terimus. Granatos Pompeianos eo tempore ortos eſſe Noſter arbitratur, quo fluidae lauae particulae vaporibus elaſticis inhaerentes refrigeſcere coeperunt; nam illo tempore partes ſilicinae cet. ad ſe inuicem coire, et formam granaticam induere potuerunt.

p. 37. III. *De origine pumicis officinalis.* POTTII de pumicis origine ſententia ex eo refutata, quod in natalibus huius lapidis locis apud Vulcanos nunquam, aut ſaltem perraro asbeſtus reperiatur, Noſter ſuam de ortu eius mentem cognitam reddit.
p. 39. Scilicet, quum vitrum vulcanium nigrum (Pumicem vitreum L.), quod Cl. MINASI ex itinere per Calabriam, vbi Vulcani extincti ſunt, Neapolin tranſportauerat, vidiſſet, ipſique copioſe immixtum album pumicem, pumici officinali ſimillimum, deprehendiſſet, cogitationi eius ſtatim ſubiit, pumicem ex vulcanio vitro per maiorem ignis vim, ſiue maiorem vitrificationem oriri; ſucceſſiua quippe vitri illius in pumicem transmutatio animadverti omnino poterat. Vt autem de hac ipſa re Noſter certior redderetur, tentamina quaedam inſtituit, expertusque hac ratione eſt, exigua, eaque tenuia huius vitri fruſta, quae vehementiſſimo igni, Borniano folle *) excitato, ſucceſſiue expoſuiſſet, non

*) De hac machina, quae eſt paruis mineralogicis experimentis inſtituendis admodum accommodata, alio tempore fuſius agere KÖSTLINVS ſibi propoſuit.

non ſolum ad margines fuſa comparuiſſe, verum etiam, ignis torturae longius adhuc expoſita, in materiem albicantem, et ſpongioſam, quae pumici ſimillima eſſet, fuiſſe mutata; hinc, inquit, perſpici omnino poteſt, officinalem pumicem ab ipſa natura ſimili ratione produci. Ceterum, cum vulcanium vitrum lauae quaedam ſpecies ſit, illudque ab aliis lauis modo in eo differat, quod aequabilem magis fuſionem fuerit paſſum, et purius atque ſolidius referat corpus, pumicis officinalis origo omnino ex baſi omnis lauae genuinae repeti poſſet; at vero ex vulcanio vitro tantum pumicem, ex lauis minus puris autem ſcoriformes illas, easque celluloſas lavas, quas nonnulli etiam pumices vocant, generari, vero admodum eſt ſimile. p. 43.

XIV.

HENRICI PALMATII LEVELINGII, Philoſ. et Med. Doctor. Anatomes, Chirurgiae et Inſtitutionum medicarum in Vniuerſitate Anglipolitana Prof. Public. cet. Obſeruationes anatomicae rariores de valuula EVSTACHII et foramine ouali, quas pro gradu doctoris defendit *Franc. Xaver. de Buglioni.* Anglipoli CIↃIↃCCLXXX. 4. plagg. 6. cum 2 tabulis aeneis.

Quae LOBSTEINIVS *) nuper de Euſtachianae valuulae fabrica atque vſu nobis cognita reddidit, ea Noſter ſuis obſeruationibus, de quibus in hoc libello retulit, confirmare potiſſimum anniſus

 eſt.

*) Diſp. anat. phyſiol. *de valuula* EVSTACHII, Reſp. *I. M. Dioboldt*, Argentor. CIↃIↃCCLXXI. vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. P. IV. p. 616.

eſt. Qua de re primum de vera huius valuulae ſtructura, quam in tribus funeribus, iisque adultis accurate eſt perſcrutatus, diſputat, et deinde vſum eius frenulorumque ipſi nonnunquam annexorum deſcri-

p. 11. bit. Recte autem, inquit, concluſit LOBSTEINIVS, *hanc valuulam haudquaquam inertem eſſe, quae viribus ſuis muſcularibus inſtructa ſit, hacque in re a venoſis reliquis valuulis diuerſa deprehendatur, cum aliis vero vſui*

p. 12. *maiori praefixis conueniat.* Si enim, pergit, trabis carneae, (quam ex fibris muſculoſis ex reticulata ſiniſteriori auriculae carne prodeuntibus, et illi valuulae EVSTACHII parieti, qui auriculam reſpiciebat, inſertis formatam, atque ex valuula transuerſim in cauo auriculae prolongatam, poſteaque vltra, quam cornu anterius valuulae, aſcendentem carni auriculae magis anteriori rurſus iunctam vidit,) et trabeculae ſeu fili carnei infra trabis illius inſertionem ex auriculae carne orti, (quod in plures partes iam ad cornu poſterius, iam ab anteriori cornu ad latiorem valuulae partem accedentes diuidebatur,) apparatum conſideremus, non poſſumus non huic valuulae prae aliis venoſis ſummam praerogatiuam

p. 14. adſcribere. Cenſet autem Auctor, his ſuis obſervatis euictum omnino eſſe, vſum huius valuulae in eo cerni, vt, quo minus imminens venae cauae deſcendentis columna ſanguinis recta in venam cauam aſcendentem ruere, atque adeo perpetua impedimenta aſcenſuro ſanguini ponere poſſit, cohibeat. Ceterum, cum haec valuula, vt recte TREWIVS ſtatuit *), ob ſitum, inſitamque vim reſiſtere queat ſanguini, qui ſub cordis ſyſtole a valuulis tricuſpidalibus ad auriculam retropellitur, quanto efficacius hoc non praeſtiterit frenulis roborata? namque notandum eſt, impetum ex duplici iam notata potentia valuulae EVSTACHII potiſſimum ſub auriculae, ſinus-

*) De different. fetus et hominis nati, pag. 54. 55.

ſinusque dextri diaſtole aduenire; dilatata itaque auricula attrahet neceſſario frenula, quae quanto potentius fuerint retracta, tanto efficacius valuulam contra molem appriment, atque, vt reſiſtat, efficient. Praeterea horum frenulorum artificio potiſſimum fit, vt et ſanguis facilius ad oualem foſſam perueniat, et valuula iisdem roborata difficilius in reticula degeneret, ſicque limbus valuulae oualis in ſinu ſiniſtro retro iſthmum poſitus nequeat accreſcere, et ouale foramen etiam in adultis apertum reperiatur; etenim communis, hisque frenulis non inſtructa et euacuata valuula facile cedit, quando ex inferiore caua vena ad eam ſanguis vrgetur.

Omittimus reliqua, quae de horum frenulorum, ipſiusque valuulae vſu Noſter monuit, et hoc vnum addimus, LOBSTEINII canonem: *quod, quotiescunque valuula illa fortis ſit, et ita claudere continuauerit oſtium cauae venae aſcendentis, nec limbus eius fuerit detritus, immo legitime increuerit cum ſinu et aure, toties in adultis oſtium foraminis oualis apertum manſerit*, LEVELINGII obſeruationibus egregie eſſe confirmatum. Figurae huic diſſertationi additae elegantes ſatis ſunt, et ad illuſtrandam rem admodum aptae.

XV.

Vermiſchte chirurgiſche Schriften, herausgegeben von IOHANN LEBERECHT SCHMVCKER, *Königl. Preußiſchen erſten Generalchirurgus cet. Erſter Band. Berlin und Stettin, bey Friedrich Nicolai,* 1776. 8. *m. K. Seit.* 352.

i. e.

Miſcella chirurgica ſcripta a Cl. IOANNE LEBERECHT SCHMVCKER edita. Vol. I.

Perquam

Perquam laudabilis huius inſtituti fundamentum nititur potiſſimum in impedimentis remouendis, quibus bonae et vtiles obſeruationes medico practicae obliuioni traduntur. Etenim multi nolunt ſcribere et alii deſtituti ſunt occaſione ſcribendi et edendi, et ita multae probae obſeruationes ineditae manent. Quapropter inuitat eos Cl. SCHMVCKER, vt obſeruationes, quae vel nouitatem quandam prae ſe ferunt, vel illuſtrant iam factas easque confirmant vel vtilem tractandi chirurgicas laeſiones in ſe continent rationem, ſe cum communicent. Atque ita primum hoc volumen, quod quinquaginta et tres ſpectat obſeruationes, vulgatum eſt.

p. 1. 1) *De amputatione membrorum*, Auctore Cl. SCHMVCKER. Antiquitate huius operationis chirurgicae monſtrata, neque reiiciendam prorſus, neque vbique adhibendam eſſe Noſter opinatur. Id quod hic intelligi poteſt partim ex exemplis, partim ex rationibus additis. Calli formatio per octo menſes, imo per annum retardata eſt, impuritatibus vero humorum praeſentibus.

p. 21. Non ſemper ſequi oportet mortem amputationem praeſente iam lenta febre inſtitutam. Vidit Noſter patrem et filium eius ſex digitis in ſingula manu praeditos eſſe et erat minimus duplex.

p. 60. Confectum eſt, vt amputatione peracta arteria comprimatur et obduretur, quam vt ea ligetur. Ligatura efficit nouum vulnus et ita dolorem, id quod in modum comprimendi arteriam prorſus non cadit. Omnes itaque arteriae poſſunt comprimi, excepta arteria crurali, vbi ligatura maiorem affert ſecuritatem.

p. 71. Quemadmodum magna inſtrumentorum chirurgicorum copia partim eſt proſcripta, partim correcta,

recta, ſic et apparatum, amputationi ſeruientem, adhuc egere emendatione aſſerit Cl. SCHMVCKER. Quam igitur, additis iconibus, hic cum Lectoribus communicat.

2) Hiſtorico practica tractatio *de medico vſu* p. 77. *hirudinum*, Auctore EODEM. Horum hiſtoria naturali et medica veterum et recentium Auctorum praemiſſa, ad ſuas obſeruationes de vſu hirudinum Cl. Auctor venit. In praeſtantiſſimis Cl. SCHMVCKERI obſeruationibus chirurgicis *) iamiam hirudinum vſum in ophthalmiis quibusdam exemplis confirmauit. Hic exempla narrat in capitis et dentium doloribus, anginaque inflammatoria. Quemadmodum in pleuritide veſicatoria loco dolenti perquam vtiliter applicantur, ſic Noſter ibidem in eodem morbo duodecim vſque ad ſedecim hirudines ſanguinem exſugi iuſſit cum celeri doloris remiſſione, et fruſtra praemiſſis venaeſectionibus. Periodicam haemoptyſin ex obſtructione menſium haemorrhoidumue ortam ſaepe iuuarunt hirudines ano inſertae. Incipienti panaritio bis Cl. Auctor ſuccurrebat applicatione hirudinum in digiti apice. Notum vſum eorum in tuberculis haemorrhoidalibus ſilentio praeteriit, monet vero hic quaedam contra eorum abuſum in hoc caſu. Si nimis magna nempe ſint tubercula, quae non penetrari poſſunt ab hirudinibus, atque ita nihil iuuant, imo, vti Noſter obſeruauit, origini carcinomatis ſeruiunt. Hic Noſter inciſionem et exſtirpationem vtiliter inſtituit eamque valde ſuadet methodum ad pertinaciſſimas ani fiſtulas praecauendas et ligaturam, a nonnullis hic commendatam, multum inciſioni et exſtirpationi poſtponit. Porro in vrinae retentione, dyſuria et

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 472.

et teneſmo nec non veſicae haemorrhoidibus conducunt hirudines.

p. 118. 3) *Deſcriptio admodum ſimplicis machinae ad vniendam fracturam femoris*, Auctore Cl. I. A. THEDEN. Eſt haec machina minus ſumtuoſa, aegro commodior, quam hactenus inuentae; vrgenteque neceſſitate ſumma aeger grallarum ope incedere poteſt. Accurate ea hic eſt deſcripta additis iconibus.

p. 134. 4) Obſeruationes *de vſu aſae foetidae in caries oſſium*, Auctore Cl. BLOCK. Aſam foetidam cum conchis ſine igne praeparatis ſ. ſaccharo, addita camphora optimo cum effectu Noſter vſus eſt; interdum camphoram ſepoſuit, et aſae omnino vſum interdicit, febrilibus motibus praeſentibus. Quibus vero per venaeſectionem, temperantia et laxantia antiphlogiſtica lenitis, aſae vſum continuauit. Quatuor exempla eaque ſat periculoſa hic commemorat, bonum euentum huius curationis aſae ope prae ſe ferentia. Vlcera ſicco
p. 139. linteo carpto tegebantur. Octo diebus poſt vſum aſae animaduertebatur effectus in vlcere; foetidi nempe ichoris copia imminuta, foetor carioſus minor, lintea carpta non adeo amplius atra et argenteum ſpecillum pariter.

p. 163. 5) Obſeruationes *de ſerpigine ſ. herpete et effectu belladonnae in morbis melancholicis et hemiplexia ſeroſa*, Auctore Cl. OTTO IVSTO EVERS. Herpetis ſpeciebus variis memoratis, laudat Noſter diuiſionem in eſſentiales (*urſprüngliche*) et accidentales. Inter varia medicamenta, quibus vtiliter et inutiliter Noſter vſus eſt, reperitur quoque ſpiritus ſalis acidus, interdum et ſpiritus vitrioli, ab aliis pariter

riter hic laudatus, inprimis ſi carcinomaticae indolis erant. Quapropter quoque Cl. EVERS monet, acida omnino in carcinomaticis morbis ab interna cauſa ortis, forte plus prodeſſe poſſe, quam hactenus hic commendata remedia. Confirmatur hic a Cl. Au- p. 173.
ctore belladonnae vſus cum rhabarbaro, quem alibi quoque indicauimus, in melancholia, interpoſitis laxantibus. Ipſe vſus eſt belladonna ad doſin recte definiendam, ſed optime eiusmodi medicamenta ab initio minori in doſi exhibentur, et dein diligenti in ſingulo aegro ſymptomatum ratione habita, caute et ſucceſſiue doſis mutari poteſt. Symptomaticum vomitum hypochondriacorum et omnino hyſterica ſymptomata ſpecifice iuuat belladonna pariter, quam cortex Peruuianus febres intermittentes. Vltimo p. 185.
loco obſeruationes tres de hemiplexia ſeroſa ſeu pituitoſa hic Cl. Auctor tradit et felicia cum belladonna et in hoc morbo fecit tentamina. Belladonnae doſi ſenſim ſenſimque aucta, delirium paruum cum ſpaſmo totius corporis, et febris in laeſis partibus, dolor et tumor cum copioſo ſudore praecedebant facultati paralyticas partes iterum mouendi, quae in dies melior et liberior ſpectabatur. Reliqua ſymptomata, vt lingua, actionum animalium laeſio cet. ſubinde omnia euaneſcebant. Pulſus vero talem inter belladonnae vſum nacta fuerat fortitudinem, qualis venaeſectionem merebatur, qua inſtituta, priſtinam aegra recuperauit valetudinem.

6) *Miſcellae annotationes de diuerſis Auctoribus.* p. 195.

1) De ſuppuratione omenti ab externa cauſa Auctore Cl. BINGERT. Circa regionem ventriculi quidam ictum perpeſſus, dolorem remanentem per quatuordecim menſes negligebat. Quo facto, iterum aegrotabat et febre affectus, dolor hic inſigniter augebatur. Locum doloris diligenter perquiſitum

tum Noſter fluctuationem ſentiens, incidebat, et magna corrupti puris quantitate emanata, molle membranoſum corpus a Noſtro detegebatur, quod prouide extractum, portio omenti erat. Hac et alia minore extracta, vulnus tegebatur. Verſus decimum diem pus benignius et parcius animaduertebatur et 42 diebus praeterlapſis, vulnus conſolidabatur. Hernia ventralis ſubſequuta, bracherio coercebatur et aeger plena gaudet ſanitate.

p. 197. 2) Inteſtina perfodiebantur a maniaco, ſuper vertebras lumborum, vſque ad vmbilicum, et anus artificialis ita erat, nihilominus tamen his vulneribus dilatatis et ſanatis, per anum feces iterum exibant et aeger priſtinae ſanitati reſtituebatur.

p. 203. 3) Lithontriptica vis aquae calcis vno exemplo probatur.

p. 202. 4) De perforatione inteſtinorum a vermibus feliciter curata.

p. 203. 5) De fiſtula ani a calculo orta et ſanata, Auctore Cl. CONRADI.

p. 205. 6) De ſanata fiſtula vrethrae ab inueterata venerea cauſa.

p. 210. 7.8.9) De perinaei fiſtula ſanata, Auctore Cl. HORN.

p. 221. 10) Exſtirpatione tumoris maioris, qui nullam habebat cum haemorrhoidibus ſaccatis ſimilitudinem, in inteſtino recto, praeſtita, et deligatione minoris inſtituta, aeger ſanabatur. Similes erant hi tumores quoad figuram braſſicae floridae.

p. 226. 11) De carcinomatici teſticuli exſtirpatione feliciter facta.

p. 229. 12) Duo ſanata vulnera articulorum vſu externo aquae frigidae.

p. 232. 13) Fiſtula ani, quae veſicam penetrabat, dilatatione cet. eſt ſanata a Cl. SCHMVCKER.

14) Po-

14) Polypus naſi, tres et dimidiam vncias ponderans, exſtirpatus eſt et haemorrhagiae ſat magnae ſedabantur, iniecto liquore ſtyptico cet. Aeger penitus ſanitati eſt reſtitutus. p. 232. p. 236.

15) Luxatio oſſis femoris feliciter repoſita. p. 237.

16) Sphaceloſum ſcrotum cum integumentis penis vſque ad cauernoſa corpora ſeparabantur, internis et externis remediis epidermis formabatur et intra duos menſes aeger plane ſanabatur.

17) Vulnus occipitis ſanatum, relictis debilitate capitis et vertigine. Venaeſectio ſedabat vertiginem. p. 242.

18) Steatoma trium vnciarum pondere inter duram et piam matrem efficiebat ſerum in ventriculis, animi deliquia, melancholiam et apoplexiam, p. 245.

19) Letalia ſymptomata, vt vertigo, apoplexia cet. quae ſequebantur non nuper ſanatum capitis vulnus. Secto cadauere fiſſura in oſſe frontis nondum erat coalita et veſtigia aliarum fiſſurarum apparebant. Sinus longitudinalis ſanguine plenus erat. Subſtantia cerebri cinerea, vti gelatina, et medullaris, dura ſpectabatur. Sinister ventriculus ſanguinis ſero et tumore impletus, dexter continebat tres vncias cruoris et tertius et quartus ſerum ſanguinis. Cranium erat admodum tenue. p. 247.

20) Paralyſis, praegreſſa capitis laeſione, trepanatione ſanata eſt, Auctore Cl. WVRM. Qua inſtituta et aegre externa tabula cranii perforata, emanabant recentis et calidi ſanguinis quaedam cochlearia parua. Quo facto aeger ſubinde nactus eſt ſanitatem. p. 252.

21) De ſeparatione galeae aponeuroticae capitis ab ictu, Auctore Cl. GEISLER. p. 254.

22) De vulnere difficili oſſis frontis ſanato, Auctore Cl. PRETORIO. p. 257.

p. 259. 23) De commotione cerebri ſublata, Auctore Cl. COELER. Ex hac morbi hiſtoria luculenter apparet calidorum epithematum in vulneribus capitis noxa. Per ictum enim commotorum, et debilitatorum cerebri vaſorum expanſio neceſſaria aucta eſt et perinde per auctum affluxum ſanguinis dolores et ſymptomata, ipſa aegra referente, increſcebant. Quapropter Cl. SCHMVCKER putat, multo melius fuiſſe, ſi poſt venaeſectiones frigida epithemata et clysmata ſtimulantia adhibita fuiſſent, quippe quae debilitata vaſa roboraſſent, et ſanguinis affluxum deriuaſſent.

p. 268. 24) De laeſione cerebri letali, Auctore Cl. PISTOR. Trium annorum infans impingebat ſeſe cultrum in lobum cerebri anteriorem. Quo vulnere die ſeptuageſimo ſexto morbi obiit. Secto cadauere, dura mater cranio accreta erat et pariter in ſiniſtro hemisphaerio cum arachnoidea, pia matre et cerebro cet. Culter penetrauit cerebrum pollice vno et dimidio, per ſuppurationem autem vulnus quinque pollices profundum erat cet.

p. 277. 25) De memorabili capitis vulnere, Auctore Cl. RAMDOHR. Globulus per ſinum frontalem cerebrum occupabat et aeger praeter ſtupiditatem nullas functionum animalium laeſiones patiebatur. Tandem lethargo et conuulſionibus periit.

p. 279. 26) De vulnere colliſo et vexato carpi ſine amputatione ſanato, Auctore RISENBECH.

p. 281. 27) Caries poſt viginti annos detecta et exfoliatione curata, Auctore Cl. GIESEMANN.

p. 283. 28) De vulnere capitis trepanatione cet. feliciter ſanato.

p. 284. 29) De luxatione vertebrae colli, Auctore Cl. SELLIN.

p. 286. 30) De luxatione vltimae dorſi et primae lumborum vertebrae, Auctore Cl. RÜDIGER. Apparet inprimis

inprimis ex his obſeruationibus, medullam ſpinalem et neruos ipſos magnam extenſionem pati poſſe.

31) Colica ab oſſe acuminato veruecino deglutito et feliciter per inteſtinum rectum extracto, Auctore Cl. SPONIZER. p. 289.

32) De vulnere ſclopeti per pulmones cum ſcapulae fractura non letali. p. 292.

33) De ſcirrhoſo teſticulo ſine exſtirpatione ſanato in tribus exemplis, Auctore Cl. BVDEO. p. 295.

34) De vulnere inteſtinali. p. 297.

35) De ſcirrho trium et dimidiae librarum in thorace, qui rectum propemodum totum, ſiniſtrum pulmonis lobum dimidia ex parte obtegebat cet. p. 299.

36) De ſingulari fungo articulorum, Auctore Cl. GAEDICHE. Fluctuatione tacta, inciſio eſt tentata et fungus apparebat, qui, etiamſi quotidie ſeparabatur, ſingula vulneris inſpectione iterum accreuerat. Incrementum huius fungi et aliis remediis non poterat impediri, eoque carcinomatico aeger moriebatur. p. 301.

37) De fiſſura longitudinali tibiae curata. Duobus annis poſt moriebatur febre putrida, et Noſter illam fiſſuram explorabat, eamque inuenit callo vnitam ita, vti viuo aegro eam tactu ſentiri potuit. p. 303.

38) De empyemate feliciter facto. Decem iam annis a tempore operationis praeterlapſis, aeger hic ſanus eſt, nec vlla incommoda pectoris habet, de quibus conqueratur. p. 305.

39) Letalis ſuppuratio gaſtrocnemiorum, Auctore Cl. KÜHN. Fibula carie prorſus exeſa, tibia e contrario penitus illaeſa, excepto perioſtio, quod maculas paruas gangraenoſas oſtendebat, pariter initium cariei, erat. p. 307.

40) De ſuppuratione tunicae adipoſae per plurimas corporis partes. p. 309.

p. 312. 41) De manu fere penitus abſciſſa et ſanata, accedentibus variolis, Auctore Cl. IVNG.

p. 315. 42) De humero prorſus perſciſſo et ſanato, Auctore Cl. HOFFMANN.

p. 316. 43) De furunculo magno cum ſymptomatibus malignis, Auctore Cl. SCHOPPER. Symptomata ſunt febris vehemens cum deliriis. Cl. SCHMVCKER hic annotat eſſe hos furunculos prorſus diverſos a communibus, et nominat eos furunculos gangraenoſos, non adeo crebro occurrentes. Hi apparent cum vehementi febre inflammatoria et ſaepe cum deliriis. Non ſunt emolliendi, vti communes furunculi et, ſi incidantur, loco puris ichor emanat. Eorum ſedes eſt ibi, vbi tunica adipoſa eſt craſſiſſima, et Cl. SCHMVCKER ſemper eos in dorſo, hypochondriis, oſſe ilei et ceruice *) obſervauit et in ceruice ei erant periculoſiſſimi. Cauſa horum furunculorum videtur acrimonia eaque plerumque arthritica **), quae ſanguifera et lymphatica vaſa glandularum et tunicae adipoſae obſtruit, neruos ſtimulando febrem excitat reliquaque ſymptomata. Exemplis hic Cl. SCHMVCKER, hanc obſeruationem confirmat.

p. 324. 44) Letum ex nimia panis ſumti copia duobus exemplis hic narratur, Auctore Cl. HORN. Noſter puncturam cum acu triquetra hic commemorat, quam artis veterinariae medici ***) ſuadent.

45) De

*) Nos ceteroquin prorſus ſimilem furunculum ſingularem cum omnibus hic memoratis ſymptomatibus in inguine obſeruauimus.

**) Conuenit et hac in re noſtrum ſenis robuſti exemplum. Nam aeger per aliquot annos arthriticos dolores paſſus eſt, qui ſubinde euanuerunt. Vſus autem eſt quoque thermis Teplicenſibus furunculo hoc ſanato et fonticulum habet.

***) REIM *vollſtändige praktiſche Anleitung, das aufgeblähte*

45) De ſanatione aneurysmatis ſimpliciſſima faſciarum applicatione, Auctore Cl. CRAMER. Non prorſus reiicit quidem Noſter machinas huc pertinentes, inprimis a Cl. ARNAVD inuentam, interim tamen arbitratur huic malo melius ſuccurri poſſe, ſi arteria pluribus locis, quam vbi laeſa eſt, premitur. p. 329.

46) De variis iisque ſat multis et magnis rebus deglutitis a melancholico, quae per anum exierunt, Auctore Cl. BLOCH. p. 333.

47) De vtilitate medicinae infuſoriae, Auctore Cl. KÖHLER. Miles deglutiebat magnum fruſtum carnis bouinae, quod medio in oeſophago intrudebatur. Quod cum nulla arte nec ſurſum nec deorſum moueri poſſet, emeticum Noſter per infuſionem tentabat, et eo per venam immiſſo, poſt ſemihorium magna cum vehementia illud fruſtum carnis euomebatur et aeger ſeruabatur. Non poſſumus hic Cl. HEMMANN *) hiſtoriam medicinae infuſoriae et transfuſoriae diligenter conſcriptam et certam eius applicationem reticere. Inuenientur hic lectu digna exempla. p. 335.

48) De vulnere capitis cum ſymptomatibus venereis, Auctore Cl. SELLIEN. p. 338.

49) De vrethrae laeſione et corruptione poſt partum, Auctore Cl. HAGEN. p. 342.

50) Letalis prolapſus coli per anum **). p. 345.

*) *blähte Vieh durch untrügliche innere und äußere Mittel zu retten.*

*) v. EIVSD. *medicinisch-chirurgiſche Aufſätze cet.* vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 142.

**) v. Memor. d'L'academie Royal. de Chirurgie. Tom. V. item. append. ad cent. IX. et X. Ephemerid. Acad. A. C. p. 109. it. LANCISII. Vol. II. Obſ. 103. Hic leguntur ſimiles obſeruationes.

p. 347. 51) De vomitu ſanguineo infantis ſine nom. Auctore Cl. RISENBECK. Proſtant ſimilia exempla fluxuum ſanguineorum in infantili aetate *).

p. 349. 52) De partu difficili ob vaginae prolapſum, Auctore Cl. GIESEMANN ſen.

p. 351. 53) De ſuppuratione omenti a lapſu paulo ante partum, Auctore Cl. DÜBEL. Dolores inde orti ſopiebantur venaeſectione, fomentationibus, remediis anodynis cet. et tribus ſeptimanis poſt lapſum, magnus et vegetus puerulus in lucem edebatur. Quo facto redibant dolores antea ſopiti et, abſceſſu in ſiniſtro inguine apparente, ille incidebatur et foetido pure cum ſanguine emiſſo, corruptae partes omenti in conſpectum veniebant. Vulneris autem iuſta habita ratione, decem ſeptimanis praeterlapſis, aegra prorſus reſtituta eſt ſanitati.

XVI.

Traité de la petite verole augmenté d'un traité ſur les remedes domeſtiques, par Mr. GROSSIN DUHAUME cet. à Paris. 1779. 8. plagg. 555.

i. e.

G. DUHAUME commentatio de variolis, acceſſit diſſertatio de remediis domeſticis.

Principes enim medicos in iis deſcribendis ſequutus eſt Noſter, VAN SWIETEN nimirum in Commentariis ſuper aſphoriſmos BOERHAAVII, et DE HAENIVM in curandi methodo. Omnia ab his de hoc argumento docte dicta, in linguam tranſtulit Francogallicam, pauloque prolixius ab iis prolata

*) vid. Aduerſaria medico practic. Vol. III. P. III. p. 567. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 690.

prolata ita redegit in compendium, vt nihil, quod ad diagnoſin, prognoſin et curam huius morbi ſpectat, omiſerit. Suisqūe quoque additionibus textui ipſi inſertis hoc opus ditauit, atque incommoda coniuncta cum notis textui ſubiectis, abeſſe iuſſit penitus, vtque nihil deſideretur, quod explicandae naturae huius morbi ſeruiat, multa ex SYDENHAMO ad ſuos tranſtulit vſus.

Diuiſit autem hoc opuſculum in XXVI. articulos, quorum argumenta pauliſper recenſebimus.

Art. I. Agit *de origine variolarum*, qua quidem in re Auctores in duas abeunt partes, quidam enim antiquiſſimas ſtatuunt, quidam RHASIS tempore ortas, poſterioribus SYDENHAMVS et Noſter conſentiunt. p. 1.

Art. II. *De tempore, quo communiſſime graſſantur variolae.* BOERHAAVII et VAN SWIETENII ſententiae hic proponuntur. p. 3.

Art. III. *An fieri poſſit, vt quis infeſtetur bis variolis.* SWIETENIVS aliique negant hoc, SYDENHAMVS et MEADIVS aliique affirmant. p. 5.

Art. IV. *De contagio variolarum.* Omni tempore eas contagioſas eſſe docet SWIETENIVS. p. 8.

Art. V. *De effectibus contagii varioloſi in corpore humano, ſubiuncta deſcriptione variolarum.* Recenſentur hic ſymptomata praecedentia eruptionem variolarum. p. 14.

Art. VI. *De diuiſione variolarum in diſcretas et confluentes, ſecundum* SYDENHAMVM, *et in benignas et malignas ſecundum* MEADIVM *). p. 18.

*) Conf. *Opuſcula medica ex monumentis Arabum*, b. REISKII, p. 8. vbi ex Mſ. Arabico. Bibl. Leidenſis n. 53. euincit A. P. N. C. 572. in Arabiam variolas inuectas, paulo luculentior eſt locus apud EBN DOREID p. 165. qui variolas amaris ſuecis, *hantal*, *harmal* et *Oſchar* cunctas ſtatuit. Plures ſententias collegit Cl. GRVNERVS *in Antiqq. variol.* p. 16. ſeq.

p. 21. Art. VII. *De primo ſtadio ſiue prima periodo inuaſionis dicta;* Hic laudatam SWIETENIO epiſtolam teſtamentariam a nobili femina relictam, qua absque omni remedio variolae ſunt ſanatae inuenimus.

p. 27. Art. VIII. Probatur *variolas vere morbum eſſe inflammatorium.*

p. 31. Art. IX. *De diagnoſi variolarum*, quam admodum incertam eſſe exemplo illuſtratur euidentiſſimo.

p. 35. Art. X. — XIV. *De fruſtraneis tentaminibus ſpecificum inueniendi aduerſus variolas.*

p. 39. Art. XV. *De ratione medendi in prima periodo indicata.* Quae ab omnibus morbis indicantur inflammatoriis, locum quoque in variolis habere poſſunt, interdum tamen eruptionem varioloſam ſine ſubſequente ſuppuratione eſſe poſſe ſtatuit Auctor. Deinde ex Auctoribus veteribus et recentioribus declarat antiphlogiſtica, praeprimis venaeſectionem, adhiberi ſolita eſſe ad feruorem exſtinguendum. SYDENHAMII aliam methodum addit, atque ex literis BOERHAAVII datis ad BASSANVM, archiatrum Lotharingiae Ducis et in Bibliotheca Regia aſſeruatis hicque inſertis, explicat, qualem methodum hic praeſcripſerit.

p. 66.

p. 76. Art. XVI. Explicatur *methodus antiphlogiſtica, eiusque vſus in variolis*, qua venaeſectione, fomentationibus, gargariſmis, clyſteribus, potionibus diluentibus, acidulis, nitroſis, temperantibus et aliquo modo nutritiis, idemque victu tenui et renouatione aëris perpetua, contagio occurritur.

p. 108. Art. XVII. Vberius *firmantur, quae articulo praecedente prodita ſunt de vſu methodi antiphlogiſticae in variolarum inuaſione*, et in conſenſum ſimul Cl. BAILLOU trahit.

p. 114. Art. XVIII. *Secundum ſtadium, ſiue periodus eruptionis percurritur.* Signa huius ſtadii adduntur, et

et de diuiſione BOERHAAVII et SWIETENII in tria tantum ſtadia, quarto reiecto, diſſeritur, ſimulque qua in re differant potiſſimum, declaratur. Qua ratione autem caute verſandum, et praeueniendum, p. 128.
quae oculis accidunt, docet Cl. Auctor, quae ſint p. 129.
accidentia propria eruptionis ratione partium in- p. 131.
ternarum, quando deliria irrumpant, quid de ſali- p. 135.
vatione ſit ſtatuendum, ſi accedat, qualis ſit diar- p. 137.
rhoeae ratio, quomodo in haemorrhagiis praepri- p. 139.
mis narium ſit verſandum, quid in menſtruorum p. 141.
fluxu ſit obſeruandum, quae circa mictum cruen- p. 147.
tum, variolarum eruptionem comitantem, probe p. 149.
ſint tenenda, quid haemoptyſis portendat et qua ra- p. 152.
tione procedat, quae ſymptomata in inflatione capitis, palpebrarum tumore; accedant.

Art. XIX. *De diagnoſi et prognoſi in primo et* p. 156.
ſecundo variolarum ſtadio. Caute in hoc ſtadio et in diagnoſi et prognoſi facienda verſandum eſſe medico pluribus oſtenditur.

Art. XX. *Prognoſtica ſeorſim commemorantur.* p. 161.
Multa dicta hic ſunt, praeprimis quae ſpectant ad puſtulas cryſtallinas, ſiliquoſas et verrucoſas.

Art. XXI. *Cura in ſecundo ſtadio variolis adhi-* p. 178.
benda deſcribitur. Non ſolum hic ad remedia huic morbo apta, ſed et ad vitae rationem, quae coniunctis cum praeſidiis agit viribus, reſpicitur, ſigillatim vero agit de ſitu in lectis, de narcoticorum remediorum vſu et effectis in hoc ſtadio.

Art. XXII. *Tertium ſtadium ſiue ſuppurationis.* p. 195.
Signa primaria et ſecundaria, et pericula ex metaſtaſibus oriunda hic indicantur.

Art. XXIII. *Continuantur, quae hucuſque ſunt* p. 206.
tractata, ſimulque ſermocinatur Noſter de malis variolas comitantibus interdum, et quidem quoad partes ſolidas et fluidas, quorſum pertinent exulcera-

tiones, gangraena, ſphacelus, caries et alia mala. Illuſtrationis cauſa duo exempla producuntur, quorum prius Cl. TRILLERVS commemorauit, quo exfoliatio oſſium variolas inſequuta eſt, poſterius Cl. IACOTIVS retulit, quo os et guttur per pus varioloſum penitus corrupta fuere.

p. 215. Art. XXIV. *De cura tertii ſtadii variolarum.* Omnia eo redeunt, vt puris affluxus verſus externa dirigatur ſuſtineaturque. Si maturatio puris facta eſt, ſuadet, vt puſtulae aperiantur et pungantur, in puſtulis gutturi adhaerentibus, gargariſmatibus multum tribuit, ſaliuationem ſi accedat ſponte, laudat, quid de diarrhoea naturali vel artificiali ſit ſtatuendum, qualem vſum praeſtent purgantia in febri ſecundaria, quid de vrinae effluuiis iudicandum, quale adiumentum linteorum mutatione ſit ſperandum, quam vtilitatem in febri ſecundaria praeſtent acida, quid vſus Quinquinae in ea conferat, quid MORTONVS, MEADIVS, MONROVS, HVXHAMVS, LOOBVS in eius vſu animaduerterint, quid de venaeſectione in febri ſecundaria ſit ſentiendum, et quemnam effectum habeant clyſteres emollientes et laxantes. Hucuſque Cl. Auctor ſequutus eſt BOERHAAVIVM atque VAN SWIETEN, quum autem in ſuis aphoriſmis nullam mentionem fecerit quorundam ſymptomatum acceſſoriorum, ea adiecit

p. 262. ſupplementi loco, ſubiuncta ſimul medendi methodo. Itaque primum locum occupant *conuulſiones* ex SYDENHAMO, deinde narrantur dolores vehementes ſubito increſcentes, tertio glandularum tumores ſuppurationis tempore ingruente, quarto, ſuppreſſio vrinae, quinto mictus cruentus conſtipatus interdum cum grauioribus ſymptomatibus, ſexto, alii complicati morbi v. c. febres ardentes, putridae etc. ſeptimo, quomodo praecauendum ſit cicatricibus nimiis, et tandem ophthalmiae, quibus

ſubito

ſubito venaeſectionibus, purgationibus repetitis et collyriis refrigerantibus eſt medendum. p. 274.

Art XXV. *Supplentur prognoſes, adiectis iudiciis de illis.* Multa lectu digna hic continet articulus, praecipue quae concernunt partes internas, niſi enim inflammatio in primo cohibeatur ſtadio ſufficienter, fieri vtique poteſt, vt grauiſſimi oriantur morbi, v. c. inflammatio cerebri, pulmonum, aliarumque partium nobiliorum, quod ne fiat, medico omni cura et attentione eſt proſpiciendum.

Art. XXVI. Denique *de inoculatione* diſſeritur, p. 291. ſuaque profert Cl. Auctor. Stat Noſter a partibus inoculationis eamque ipſam maiorem in modum laudat.

Appendicis loco addit tradctionem latinam p. 331. *methodi variolis medendi* DE HAEN *), atque in ipſo praefamine ſuccinctam variolarum tradit deſcriptio- p. 333. nem, definitione praemiſſa, periodos varias, diuiſionem, et characterem puſtularum in confluentibus malignis variolis deſignat. Sequitur iam p. 341. Ill. DE HAEN methodus, quam ſuis obſeruationibus illuſtrauit, ſic v. c. emeticorum quidem vſum p. 343. laudat, attamen magna cum circumſpectione illum admittendum cenſuit, ſimili ratione de narcoticis iudicauit, demonſtrauitque hanc methodum exacte cum *Swietenia* conuenire. Ad calcem huius libri conſpicitur *Commentatio de reme-* p. 386. *diis domeſticis*, quae CELSVS eleganter *promta* appellat. Ingenue in ipſa praefatione profitetur p. 389. Cl. Auctor ſe diſſertationem egregiam FR. HOFFMANNI, *de praeſtantia remediorum domeſticorum* traduxiſſe, ita tamen vices interpretis geſſit, vt quaedam ad ipſum textum adderet, et nouos quoque inſereret articulos, ſignis quibusdam ab HOFFMANNI verbis diſtinctis. Itaque Sectio I. *de partibus,*

partibus, quae alimenta conſtituunt. Breuitatis ergo potius, quae noua ſint addita et emendata hic conſiderabimus.

p. 397. Sectio II. *De piſis et lentibus.* Quum piſis virtutem lithontripticam tribuit Noſter, exemplum aliud affert de homine ope ſpiritus vitrioli et oleo tartari aeque ac aëre fixo a ſuo malo liberati, ſed idem remedium iamiam laudauit NATHANAELIS HVLME*).

p. 401. Sectio. III. *De raphanis et napis.* Laudat horum alimentorum vſum, praeprimis napas minores in Francogallia ac raphanum ruſticanum interne et externe commendat. Reprehendit quoque vulgarem modum praeparandi *ex napis ſyrupum*, et *Pariſinum*, quo fit ille per ebullitionem lenem, emendat ſuadendo, vt, quum per ebullitionem diſſipentur particulae meliores, addendum ſit alcali volatile quodcumque, praeprimis ſpiritus cochleariae, cuius quippe vires naparum viribus accedant proxime.

p. 405.

p. 407. Vim autem raparum, naparum et quae cum iis ad vnum genus referuntur praecipue cerni in febribus quartanis, maraſmo, et cachexia infantum, et cauſam in eo latere arbitratur, quoniam ſunt alcalinae, ſaponaceae, aperitiuae et antiſcorbuticae indolis.

p. 408. Sectio IV. *De braſſica.* Hanc plantam eſſe ſtatuit Noſter, quae in maiori copia aquam vegetatiuam contineat et corpus mucoſum ſit, in quo alcalinum principium non ſatis euolutum ſit, vnde magis nitroſae et refrigerantis naturae eam aſſerit.

p. 410. Sectio V. *De allio et cepis.* Allii virtutes Noſtro non probantur, illud tamen ab infantibus cum lacte et ſaccharo aduerſus vermes aſſumi poſſe cenſet.

Sectio

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 682.

Sectio VI. *De radicibus aperientibus.* Decoctum radicum cardui in glandularum obstructione penes infantes, et radix petroselini in lacteis tumoribus multum auxilii praestat, et daucorum pulpa topicum est in canero. p. 413.

Sectio VII. *De quatuor seminibus calidis.* Eorum vsus in colicis reprehenditur, quia ea sunt in principio spasmodicae, simulque inflammatoriae. p. 417.

Sectio VIII. *De magna paruaque saliua.* p. 420.

Sectio IX. *De lauendula et rore marino.* p. 422.

Sectio X. *De mentha et melissa.* Aqua destillata menthae ad potionem RIVERII adhibetur. Ex melissa citri odore praeparatur aqua Carmelitarum, cuius abusum monstrat. Potus Theiformis ex melissa menstrua auget, imminuitque fluorem album; si aequalibus partibus additur millefolium, vrtica alba, veronica mas et mentha, magis confert. p. 425.

Sectio XI. *De millefolio.* Huius virtutes praecipue in puerperarum morbis laudat, v. c. in magnis doloribus regionis hypogastricae, in tensione infimi ventris, in pectorum angustiis, in febri increscente, in totali lochiorum suppressione, in conuulsionibus, doloribus ingentibus, in dysenteriis cum febre coniunctis. p. 429.

Sectio XII. *De floribus Chamaemeli.* Cuius virtutem antifebrilem iamiam laudauimus *) in febribus intermittentibus. p. 434.

Sectio XIII. *De absinthio et fumaria.* p. 438.

Sectio XIV. *De nasturtio et cochlearia.* Horum commendatio ab HOFFMANNO intermissa supplet[ur] a Nostro fere vnam eandemque cum fumaria ipsis tribuit potestatem in morbis a bile proficiscentibus cutaneis, lichenibus, et vi aperiente siue hepatica multum conferre dixit, possuntque assumi vel in aqua decocta vel cremore lactis, fructusque acidi p. 442.

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIII. p. 655.

acidi cum beccabunga, cochlearia aliiſque plantis alcalinae indolis ſunt addendi.

p. 444. Sectio XV. *De chaerophyllo et veronica.* Eminere ait praecipue chaerophylli vim diureticam, vnde eius maxime cernitur vſus in diuerſis hydropiſeos ſpeciebus. Et quum HOFFMANNVS aliquorum plantarum aduerſus calculum mentionem fecerit, his alias addidit efficaciores et magis temperantes, herniariam ſcilicet et parietariam, quae prohibent calculi generationem.

p. 448. Sectio XVI. *De roſa, cyano, et cyano ſegetum.* Opportunitatem mentionis ſacchari roſati nactus ſaccharum laudandi, quia eſt ſalutare alimentum vereque pectorale, vi balſamica, deterſiua, liquefaciendi et antiſcorbutica praeditum. Suis quoque additamentis vim diureticam cyani firmare ſtuduit.

p. 453. Sectio XVII. *De floribus aurantiorum, acaciae, hyperici et chryſanthemi.*

p. 455. Sectio XVIII. *De floribus tiliae, primulis veris, liliis conuallium et gallio luteo.* Mucilagini tiliorum plurimum in arthrithide tribuit, ſed ſimilem effectum ſperare nos iubet Noſter ex pſillii et granorum lini mucilagine, aeque ac ex foliis opuntiae ficu Indica.

p. 457. Sectio XIX. *De abiete et terebinthina.* Decoctum ex abietis foliis ſudorificum eſſe et mederi ſcorbuto maliſque eum comitantibus, dolores, contractiones etc. membrorum, aſſerit Cl. Auctor, qui addit hoc decoctum proficuum eſſe in arthritide vaga, in rheumatiſmo, in lichenibus etc. eiusdemque virtutis eſſe cum decocto antiuenereo, cuius deſcriptionem exhibuit BAVMIVS *).

p. 462. Sectio XX. *De iuniperis, eorumque extracto et ſale fixo.* Baccae iuniperi oleum eſſentiale continentes ad remedia ſtomachica, emmenagoga, alexiteria

*) vid. EIVSD. Elemens theorique et pratique.

terica et ſudorifica pertinent, vnde ad decocta commode poſſunt adhiberi. Extractum autem ſtomacho robur addit, digeſtionem reſtituit, auget tranſpirationem aliaſque ſecretiones, et conducit pituitoſis, in ſuppreſſis menſtruis, in chloroſi, in cacheria, hydropiſin egregie iuuat, et ſale fixo huius plantae cum vino albo hydropiſes poſſunt curari.

Sectio XXI. *De ſambuco.* Flores Sambuci in lacteis depoſitionibus in cataplaſmatibus, ſi omni quatrihorio repetuntur, febrim et inflammationem minuunt, et ſi venaeſectio, potiones temperantes et diureticae cum arcano duplicato et terra foliata tartari repetitis vicibus vna vſurpantur, tota abſoluitur cura. Aqua deſtillata in morbillis, variolis, febre miliari et purpura confert. Et rob ſambuci cum theriaca comparatur, et in febribus, quia non tam calidae eſt naturae, vſum habet. p. 468.

Sectio XXII. *De croco.* Bene monet crocum in colicis puerperarum vſum habere, ſi ſint ſine febre et inflammatione, alio autem modo, ſi haec ſymptomata accedant, eſſe procedendum. Externe in depoſitionibus lacteis cataplaſmatibus poteſt miſceri ex floribus chamomillae, ſambuci, ſapone, mica panis et lacte paratis. p. 473.

Sectio XXIII. *De aurantiis et pomis citreis.* Hic commendat ſuum iulapium analogum iulapio RIVERII, cuius ſupra iniecta eſt mentio. p. 476.

Sectio XXIV. *De pipere et nuce moſchata.* Nucem moſchatam inter remedia collocat, quae grauidis feminis in perdito appetitu, affectionibus ſtomachi, vomitionibusque conueniunt, haec autem caute eſſe accipienda bene monet Noſter; nam quum calidae virtutis ſit, reliqua ſymptomata ſunt examinanda, num a plethora, humorum abundantia, aut ſpaſmis proueniant, quo incaſu venaeſectio et mitigantia proficiunt. Sic quoque p. 482.

nucis

nucis moſchatae vſum cum alumine improbat in
febribus intermittentibus ob cachexiam, ſcorbu-
tum, hydropem aliaque mala inde oriunda.

p. 487. Sectio XXV. *De China.* Hiſtoriam huius cor-
ticis ita tradit, vt primum de eius primo vſu in Eu-
ropa, deinde de partibus conſtituentibus ipſum di-
p. 490. ſerat. Porro de eius vſu cum purgantibus in fe-
bribus continuis remittentibus vel ſimplicibus vel
cum comatoſis affectibus et paralyſibus coniunctis
p. 498. copioſius et accuratius agit. Electuarii deinde fe-
brifugi et adſtringentis virtutem declarat, cui ſub-
p. 505. nectit varios ſuppeditandi illum modos. De ele-
ctuario febrifugo et laxante quoque quaedam mo-
p. 506. net, ſimulque verba facit de electuario aduerſus
epilepſiam.

p. 507. Sectio XXVI. *De Valeriana.* Notatur eſſe fuc-
ciduum medicamentum ſerpentariae Virginianae in
epilepſia ſimilibuſque morbis eſſe, et in infuſis, pul-
veribus, bolis cum ſucceſſu exhiberi poſſe aſſeritur.

p. 508. Sectio XXVII. *De oleo amygdalarum dulcium
et oliuarum.* Laudem olei amygdalarum dulcium
in ſpaſmis et contractionibus neruorum immi-
nuit, praeprimis eius vſum in colica pictonum
eſſe noxium cenſet, ſic quoque reiicit eum in omni-
bus morbis pectoris, vbi ſtomachus ſimul venit in
conſenſum.

p. 512. Sectio XXVIII. *De oleo dulci ricini Americani.*
Virtutem purgantem huius olei aduerſus taeniam
admodum laudibus praedicat.

p. 514. Sectio XXIX. *De ſapone.* Conueniens eſt re-
medium in podagra, omnibuſque tumoribus arthri-
ticis, in calculo, in acrimonia et obſtructionibus, in
eroſionibus et inflammationibus.

p. 519. Sectio XXX. *De lacte.* Auctoritate BOERHAA-
VII et VAN SWIETENII cremorem lactis cum me-
dicis Pariſinis celebrat, lac autem ſimplex aduerſus
venena

venena efficacius esse, si aduersus eorum effectus oleum essentiale anisi cum vitello oui et oleo amygdalarum dulci, syrupo maluae et aquis diaphoreticis exhibentur.

Sectio XXXI. *De lapidibus cancrorum.* p. 524.
Sectio XXXII. *De alkali volatili.* Aduersus morsum viperarum hoc proficit, deque modo agendi reddit rationem, simulque eius vsum probat in rabie, et si assumitur cum decocto sudorifico, et syrupo capillorum Veneris paralysibus medetur. p. 527.
Sectio XXXIII. *De ferro.* p. 533.
Sectio XXXIV. *De nitro.* p. 538.
Sectio XXXV. *De sale marino.* Purgandi, solvendi, aperiendi vi aeque ac diuretica gaudet, et quia fertilitatem terrae conciliat, etiam corpori humano quam maxime conducere creditur. p. 541.

XVII.

Obſervations ſur la nature et ſur le traitement de la rage par Mr. PORTAL. Yverdon 1779. in 8. 186. plagg.

i. e.

Cl. PORTALII obſeruationes naturam rabiei eamque ſanandi rationem concernentes cet.

Ex Noſtri quidem conſilio hic liber partem operis *de ſede et cauſis morborum* conſtituere debuit, cuius editionem propediem curare voluit; at quum Societas medicorum Regia promiſerat, ſcriptiunculam de rabie diligentiori ſtudio elaboratam ornare praemio, et ſuis obſeruationibus publicandis non laudis tantum et gloriae ſtudio, quo tenetur propemodum optimus quiſque, inſtigatus, ſed vt ſaluti hominum proſpiceret in vniuerſum, ductus, ſuum

qualemcunque libellum doctorum virorum ſubmittere voluit examini. Vnde ſtatim in ipſius libelli fronte Lectores de conſilio, quo hunc laborem ſuscepit, reddit certiores, ipſiusque materiae difficultatem, argumentique grauitatem maxima cum vtilitate coniunctam explicat perſpicue.

p. 1. Introductionis vice Cl. Auctor laudat vetop. 3. rum medicorum de rabie deſcriptiones, et ſigna prodit rabiei caninae ab HIPPOCRATE, ARISTOTELE, AVICENNA et COELIO AVRELIANO litteris mandatae, qua quidem in re nos miramur Cl. Auctorem non mentionem feciſſe DEMETRII CONSTANTINOPOLITANI *), quippe qui *de cura canum* ſcripſit et ſigna rabiei caninae, vti eius anteceſſores, diligenter quidem, ſed non exacte, quod ipſi quoque vitio verti nequit, delineauit. Sed recentiorum quoque ſigna commemorauit, inter quos Cl. PETITI ſententiae de ſigno rabioſi animalis ſubſcribit, qua fit, vt, ſi eiusmodi animal occidatur, eiusque os recenti portiuncula carnis teratur, eique portiuncula cani alii propinata gemitum horrorem excitet, ſubſumamus, canem trucidatum vere fuiſſe rabioſum. His praemiſſis, duabus abſoluit opus partibus, quarum eſt haec ſumma.

p. 10. *Parte priori naturam rabiei* explicat, et ſtatim a diuiſione incipit, quae duplex eſſe deprehenditur, *ſponta-*

*) Prodiit hic libellus ſub titulo: PHAEMONIS *Philoſophi* Κυνοσοφιον *ſiue Liber de cura canum e IV. Mſſ.* Rhodio, *Auguſtano, et duobus Mediceae Biblioth. collatus et notis et variis lectionibus mactus a D.* RVDBERTO A MOSHAIM, *D.* ANDR. AVRIFABRO, *D.* NIC. RIGALTIO *atque D.* ANDR. RIVINO. Lipſ. 1654. quaternis. Hic liber ſecunda vice impreſſus eſt, Londini 1699. cum GR. FALISCI Cynegetico editore TH. IOHNSON. octonis. Exſtat quoque in *Scriptoribus rei accipitrariae* NIC. RIGALTII, Lutet. 1612. quaternis, quorum noua editio Lipſiae prodibit propediem.

ſpontanea et *communicata*. Poſtea ad *ſymptomata* cum Noſtro accedamus. Primum vulnera a rabi- p. 16.
do animali inflicta paulo curioſius intuetur, eorumque differentiam notat, dein de mutata rerum facie in exteriori corporis habitu conſpicua, aeque ac internis viciſſitudinibus differit, quae quidem ſymptomata pro circumſtantiarum ratione haud raro differunt; quare duos huius morbi gradus ſtatuit, eosque declarat vberius.

Quibus penſitatis, tranſit *ad corporum ra-* p. 28.
bie defunctorum ſectionem, quae nos ducit ad alterationum notitiam cauſarumque, et ſedis morbi cognitionem certam, atque efficit, vt eo felicius in morbis percurandis verſari queamus. Plura autem cadauera quum ſint incidenda atque inſpicienda, ſi tutiſſima ingredi cupiamus via, et huic rei ſeſe accinxit Cl. Auctor, quare multa laudat exempla, et quae in iis viſui eius fuere obiecta, commemorat. Quibus ſuas addit *obſeruationes* ac docet a pleriſque p. 43.
Auctoribus rabiem cum hydrophobia confundi, quum tamen hi duo morbi non ſemper coniuncti eſſe ſoleant, et plerumque hydrophobia in quampluribus morbis ſyſtematis neruoſi accedat, effectuſque ſit nimiae organorum, praeprimis pharyn- p. 44.
gis et oeſophagi ſenſibilitatis. *Horroris ratione li-* p. 45.
quidorum inde orti *ſedem* ac *effecta* indicat, atque p. 46.
ſubiicit hydrophobiam pro ſymptomate tantum rabiei eſſe habendam. Interdum quoque fieri ſolet, vt tales aegri ferre nequeant lucis claritatem, vnde peculiaris horror *aëriphobiae* nomine inſignitus ori- p. 48.
tur, qui facile cum hydrophobia accedere poteſt, nihilo tamen ſecius et ſeparatim exiſtere eum affirmat. Pluribus tandem demonſtratur in *hydropho-* p. 49.
bia irritationem oculorum, *ſenſibilitatem neruorum*, *muſculorum irritationem eſſe nimiam*, quid quod et ipſum cor reliquaque vaſa nimium irritabilia depre-

p. 54. henduntur; Quae omnia *febris intenſionem, priapiſmum, furorem vterinum aliaque mala* procreant.

p. 57. His tractatis, docet Noſter, *qua ratione ſeſe communicare queat rabies*, fit hoc videlicet per ſaliuam rabioſi et quidem duplici modo, 1) *immediate* per ſaliuam rabioſi in os ſani immiſſam, et afflatum vaporoſum ardoremque, vt et per alimenta aliaque
p. 61. corpora hoc veneno infecta, 2) *mediate* per vias ſaliuales, quorum ope humoribus immiſcetur et ad neruos tranſit. Vberiori ſermocinatione non-
p. 69. nulliſque exemplis haec omnia illuſtrantur. Morbus autem facilius ſeſe prodit in *hominibus irritabilibus* et
p. 73. *melancholicis*, quam aliis. Maioribus tamen difficultatibus implicita eſſe videtur quaeſtio *de ſede huius morbi*, nam Auctores mirum in modum hic diſſentiunt. Pharyngem et oeſophagum primariam ſedem huius mali ſtatuit Cl. Auctor, quorum ope humores infecti ad alias corporis transferuntur partes easque inficiunt.

p. 87. *Parte poſteriore Cl. Auctor de ſanandi ratione praecipit*, quae ad duo redit 1) vt virus animalis rabioſi impediatur, ne penetret ad interiora corporis, aut vt ex illis deriuetur locis, quae iam occupauerit, 2) vt corrigatur aut deſtruatur penitus vis ipſius letifera. *Primae indicationi* fit ſatis, lauando vulnus aqua tepida, ſale marino impraegnata, ſcarificationibus, aut quinque et ſex ſanguiſugarum appoſitione, quo facto demum operiundum vulnus puluillis cum vnguento digeſtiuo aut baſiliconis. Si autem caro ipſa vulneris ſit contuſa ac demortua, ad lotionem ipſius aqua vitae camphorata cum ſpiritu ſalis ammoniaci miſta adhibenda eſt, et linteis carptis cum vnguento matricali et ſtyrace vulnus tegendum; procedente rite ſuppuratione ſtyraci
p. 88. baſilicum ſubſtituendum, et quotidie inungendum vnguen-

vnguentum mercuriale. Si tamen ad cicatricem vulnus accedere videtur, lapis infernalis in ſubſidium vocandus et ſanguis per ſanguiſugas extrahendus. Poſtero die tartarus emeticus exhibendus, tertio demum die in balneum cum aqua tepida per vnam, aut vnam et dimidiam horam immitta- p. 89.
tur aeger, continueturque illud per viginti, aut viginti quinque dies. Aluus aperta ſeruetur clyſteribus, et quarta aut quinta die remedium exhibeatur purgans. Si autem nimia irritatio neruorum p. 91.
ſit, boli ſunt parandi ex Camphora, Moſcho, Nitro, addito pauxillo mellis.

Data occaſione vſum frictionum mercurialium laudat Noſter atque tradit bolos antiſpaſmodicos, cum frictionibus a quibuſdam praeſcriptos egregios edidiſſe prouentus. Si autem omnis potus horror non poſſit ſuperari, tres aut quatuor clyſteres omni quadrihorio applicari debent. Ipſa autem victus ratio ſit lenis, refrigerans ex regno vegetabili, et perparum carnis aſſumatur, motus corporis ſit modicus et omnes animi euitentur contentiones ſedulo. Ab initio reiterata p. 92.
venaeſectio, praeprimis in brachio, proficua eſt. Si ſeſe vulnus claudit, aperiendum eſt rurſus per ſanguiſugas, neque balnea tepida ſuo deſtituuntur vſu. Interim ſuadendae ſunt aquae acidula- p. 93.
tae cum nitro et aceto aut alio acido in vniuerſum ingurgitandae; ſi autem hanc potionem aeger auerſetur, ea propinetur, quam cupit, modo ſit refrigerans et leniens, ſi autem omnes potiones abominetur, refugiendum eſt ad clyſteres. Frictiones p. 94.
cum vnguento mercuriali et propinatio boli fiant quotidie, et remedia illa per longum tempus ſunt adminiſtranda.

p. 94. Variis obſeruationibus ipſam curandi ratio-
p. 95. nem Cl. Auctor illuſtrat. Hiſtoriam cauterii, eius-
que effectus decantatos a veteribus, et a quibus-
dam recentiorum commendatos commemorat, at-
p. 100. que inſtituto examine, ſcarificationibus palmam con-
cedit. Subiungit his ſuas obſeruationes de vena-
p. 103. ſectione in ipſa curandi ratione inſtituenda, quae
p. 105. potiſſimum in eo eximiam ſuam exſerit vtilitatem,
vt motus cordis et arteriarum ſit legitimus, vt cir-
culatio ſanguinis aequa ſit per omnes partes corpo-
ris et inprimis per cerebrum: praeterea irritatio-
nem neruorum minuit et in ipſorum origine aeque
ac progreſſu, et toti corpori quietem procurat.
Pergit et reliqua in curanda rabie obſeruanda exami-
ni ſuo ſubiicere, vnde de balneis et potionibus ſer-
p. 106. monem inſtituit. Ante omnia diſquirit, quaenam
p. 107. balnea et potiones conueniant, num frigida, an ca-
lida? vtrum ex aqua marina an fluuiatili? Vtrum
ſubito aeger ſit intrudendus in aquam, et vi ad-
p. 110. igendus ad potiones. Variis hac de re medico-
p. 111. rum principum ſententiis propoſitis, praeferenda
balnea marina eſſe affirmat, et immerſiones vio-
lentas fugiendas; pariterque balnea tepida frigi-
dis praefert.

p. 113. Vſui interno mercurii nequaquam patrocinari
videtur Cl. Auctor, potius frictiones mercuriales
p. 120. commendat quam maxime, et his potiſſimum inni-
titur argumentis, quia illud remedium partes vul-
neri adiacentes proxime tangit, quia exterior vſus
mercurii tutior eſt interiori, quia rabioſi vel nolunt
vel nequeunt deglutire, et officii noſtri ratio hoc in
caſu a nobis exigere videtur, vt omnia remouea-
mus ſedulo, quae repugnantiam procreent, et tan-
dem quia ipſae obſeruationes externo vſui mercurii
p. 122. fauent. Peculiari quoque capite purgantium ac
vomitoriorum remediorum virtutes in hoc morbo
comme-

commemorantur. Veteres drasticis magnam tribuerunt vim aeque ac fortioribus vomitoriis remediis, quibuscum recentiorum nonnulli consentiunt. Sed LASSONIVS mitiora suadet, cui adstipulatur Noster, quia drastica purgantia et vomitoria medicamenta neruos magis irritant, et inflammationem producere possunt: igitur mitiora praemissa sanguinis missione, tamdiu per quinque et sex dies vna cum frictionibus adhibenda sunt. Tandem et antispasmodica, quorum vsum NVGENTIVS primum suasit, a Cl. Auctore considerantur. Itaque reprehendit Auctorem illum, qui hunc morbum conuulsiuum tantum esse, nequaquam autem inflammatorium credidit, ideoque vsum mercurii neglexit, qui tamen remedii specifici loco est habendus. At vsum *camphorae et musci* antispasmodicum tot exemplis comprobatum non reiicit, tamen bene distinguendum esse docet, inter eos, qui ab animalibus morsi sunt pro rabidis tantum habitis, et inter eos ab animalibus morsos, in quibus iam vis venenata periit, et inter eos vere venenatos. Ergo primos methodo ab ipso praescriptae tribuit. Maius autem vt suis assertis pondus addat iisque auctoritatem conciliet, prouocat ad obseruationes in quibusdam aegris institutas, salutarem effectum methodi praescriptae comprobantes. Multa hic exempla narrantur, quae non solum docent, qua ratione in eiusmodi morbis sit versandum, sed et supra dicta declarant.

p. 123. p. 124. p. 125. p. 126. p. 128. p. 129.

Vltimo loco Cl. Auctor libros de rabie compositos laudat et diuersas sanandi rationes diligentissime describit. Ordine chronologico hunc Auctorum effecit indicem, incipiendo a GALENO vsque ad nostra tempora, et non solum librorum argumenta indicauit, sed etiam iudicio suo inter-

p. 141.

posito declarauit, qua in re vnusquisque ab alt
ro differat, quaque via ingressus sit in ipsa sanan
di ratione.

XVIII.

A radical and expeditions cure for a recent ca
tarrhous cough a chapter on te vis vitae
strictures on the treatment of compound
fractures. By IOHN MVDGE F. R. S. Lond.
1779. 8. c. f. pagg. 252.

i. e.

Radicalis et cita methodus medendi tussi ca
tarrhali cum obseruationibus quibusdam su
pra vim vitalem corporis humani et fractu
ras complicatas. Auctore Cl. IO. MVDGE.

Translatus est hic liber in linguam Germanicam*).
Sect. II. Physice de aëre et physiologice de pulmoni
bus disputatur in prima sectione. Postea progre
ditur Noster ad nodos pulmonum eorumque exul
cerationes. Ad eos praecauendos et arcendos sua
det fonticulos, venaesectionem, diaetam omnino hu
morum circuitum temperantem cet. Hanc reuul
sionem materiae morbosae ad externas partes per
externa remedia, quam et alii laudarunt, Noster
putat idcirco non semper a medicis practicis iam
iam

*) *Abhandlung von dem catharrhalischen Husten, in wel
cher zugleich eine gründliche und geschwinde Heilungs
art desselben mitgetheilet wird, nebst einigen Bemer
kungen über die Lebenskraft des menschlichen Körpers,
und über die Behandlung complicirter Beinbrüche,
durch* IOHN MVDGE. *Aus dem Englischen übersetzt.
Leipzig*, 1780. 8.

iam effici poſſe, quod nimis leniter et molliter hanc rem tractant. Cauterii enim veterum loco, inquit Noſter, hodie veſicatorium paruum ſeu fonticulus eligitur atque ita non tanta materiei quantitas, quanta ſufficit, elicitur. Atque hoc cadit, vti Noſter arbitratur, in omnem omnino medicinam. Id quod exemplo catalepſiae pertinacis confirmat, quae magna radicis Valerianae ſylueſtris doſi ſubinde quotidie ab aegra ſumta feliciter curabatur. Maiori doſi medicamenti hic omnia tribuit Noſter, et ſimilia exempla narrat de cortice Peruuiano cet. Quibus inſertis redit Noſter ad vlcera artificialia inter ſcapulas, quae ſuadet in phthiſi et Ipſe expertus eſt. Febre lenta cum iam Noſter laboraret et multis fruſtra vſus eſſet remediis e. gr. aquis mineralibus, cortice cet. magnum fonticulum duorum vſque trium pollicum in diametro, quadraginta vſque quinquaginta piſa in ſe continentem ſcapulas inter ſuas patiebatur. Quo in ſuppurationem redacto, in pulmonibus irritatio, aſthma et cetera ſymptomata omnia ceſſabant, nec vnquam redibant. Praeterea lacte aſinino et diaeta vegetabili huic externae curationi ſuccurrebat.

Ad mutationem aëris eiusque in morbis pulmonum vtilitatem, quae ex itineribus marinis cet. iam patet, demonſtrandam, exemplum tuſſis ferinae inprimis elegit Cl. Auctor. Qua per menſem fere durante, (nam morbus tum ſummum nactus eſt faſtigium et priusquam hoc factum eſt, mutatio aëris nihil prodeſt) aeger ſi aërem mutat, in melius manifeſte vergit tuſſis haec. Sed per omnes quatuor quinqueue dies locus alius, vbi moratur aeger, eſt eligendus. Nam aëris effectus paucis diebus hoc in caſu ceſſant. Nouo autem aëre iterum iterumque curato, noua morbi correctio apparet atque ita

breui, aegro ſanitas plerumque prorſus reſtituitur. Citum auxilium autem, quod ferunt itinera marina, quaerit Noſter in eo, quod diu noctuque vnum eundemque aërem volatilibus particulis bituminoſarum et terebinthinae inſtar ſubſtantiarum impraegnatum pulmonibusque debilibus ac laeſis adeo conuenientem ita optimo modo inhalet atque inſpiret ager. Phthiſi pulmonali conſiderata, ad alios eiusdem organi morbos, vt aſthma humidum, catarrhum cet. progreditur.

Sect. III. Ii morbi, qui disquiruntur in tertia ſectione, oriuntur vel a laeſione organi reſpirationis vel ab omni omnino corporis conſtitutione. Catarrhus oritur a ſuppreſſa perſpiratione, nec raro phthiſeos initium eſt, niſi caute tractetur. Recentem celeriter iuuat opio et inhalatione aquae tepidae vaporis, quem vaporem ſimplicem, multis aliis remediis pectoralibus tentatis, omnibus praefert, et ad quem inhalandum machinam hic deſcribit et in icone communicat, interdum quoque ſola et mane veſperique repetita inhalatione ſine opio. Expertus eſt huius localis remedii celerem virtutem Ipſe Cl. Auctor.

Praemiſſis de vi vitae, quatenus in conſeruanda et recuperanda ſanitate efficax cernitur, contemplationibus, ad complicatas fracturas accedit Noſter atque earum ſimpliciorem ſanandi rationem proponit. Loquitur hic de principio redintegrationis amiſſarum particularum in corpore humano. Aërem vulneribus omnino obeſſe iiſque putredinem conciliare exemplis patet. Igitur arbitratur Noſter maius periculum et difficiliorem ſanationem in fracturis complicatis pendere a methodo ſanandi. Nam ſimplici fractura praeſente, repoſitio et deligatio vna vice abſoluitur, et membrum quieti

traditur

traditur et naturae. E contrario in complicatis crebrior deligatio vulneris, aëris acceſſus et irritatio frequens cernitur. Quapropter ſimpliciorem methodum ſuam, fauſtis exemplis partim ſuis, partim ab aliis communicatis probatam vno Noſter, tantum caſu declarat, quae eo redit vt prima deligatio non mutetur, ſed ſubinde balſamo traumatico humectetur. Non in omnes fracturas hanc methodum cadere poſſe facile largitur, vbi vero vulneris et fracturae ratio hanc methodum permittit, eam quoque ſuademus.

XIX.

Lettere ſopra A. CORN. CELSO al celebre Abate GIROLAMO TIRABOSCHI. Roma, 1779. 8. pagg. 278.

i. e.

Epiſtolae *) de A. CORN. CELSO ad celebrem Abbatem HIERONYMVM TIRABOSCHIVM ſcriptae (a V. Cl. BIANCONIO).

Multa, quae vitam, patriam, aetatem, vitae genus, ſcriptosque huius medicorum CICERONIS libros concernunt, tot tantiſque premuntur difficultatibus, obſcuritatibusque vt propter dubitationum comple-

*) Vernacula harum epiſtolarum verſio prodiit Lipſiae in officina Gleditſchia 1781. octonis IOH. LVDWIG BIANCONI *Sendſchreiben über den* A. CORN. CELSVS *an den Abt* HIERONYMVS TIRABOSCHI *aus dem Italiäniſchen überſetzt, von* L*** *nebſt einer Zuſchrifft von D.* CARL CHRISTIAN KRAVSE; quam quidem verſionem optime fide factam eſſe fatemur ingenue, epiſtolaque dedicatoria a Cl. KRAVSIO praemiſſa ipſi libello novam conciliauit auctoritatem praeſtantiamque, qui multas

complexum, ſententiarumque ſibi admodum aduerſantium farraginem, quid ſtatuendum ſit ab eruditis viris, cuique opinioni aſſentiendum potiſſimum, dictu difficile ſit. Vnde Cl. BIANCONII ſtudium in eruenda huius rei veritate, verſatum eſt ita, vt quam plurima de CELSO certiora reddere clarioraque laudabiliter et perutiliter ſuſtinuerit, vt autem de praeſtantia libelli, antiquae eruditionis pleni iudicare queant Lectores, paucis argumenta ſingularum epiſtolarum recenſebimus.

p. 1. Igiter Cl. Auctor in *prima epiſtola* rationes, quibus ad ſcribendum animum applicuit, explicat. Otium videlicet, quo in agro Mandoletico fruitus

p. 3. eſt, opportunum ipſi viſum eſt de CORNELIO CELSO diſquiſitionem examini Cl. TIRABOSCHII ſubiiciendam proponere, quae occaſione quoque oblata, alias quoque res lectu iucundas, ſcituque vtiles et hiſtoriam CELSI illuſtrantes habet intertextas. Fertilitas ipſius regionis, vbi commoratus eſt, aeque ac amoenitas Muſis fauens animum excitauit, tempus perſcrutandis veterum monumentis omne propemodum conſumere. Ipſa Peruſia non longe diſtans inſcriptione veteri PERVSIA AVGVSTA inſignita,

p. 7. obſidionis difficultatem ab AVGVSTO factae Cl. Auctor in memoriam reuocauit, cladeſque FLAMINII ad lacum Traſimenum ab HANNIBALE perpetrata antiquae hiſtoriae vſum ipſum edocuit. At multo gratiora ſeſe hic ei obtulerunt, et aëris ſerenitas, tempeſtatis gratiae, et muſcorum ornamenta tot tanto-

multas illi inſeruit vindicias lectionum a ſe receptarum, quibus egregias addidit animaduerſiones, ſed etiam, quae ad editiones ſpectant, ſupplere omni accuratione ſtuduit, qua quidem re hiſtoriae literariae CELSI permultum denuo conſuluit Cl. KRAVSIVS.

tantorumque doctiſſimorum virorum effigiebus illuſtrata ipſi occaſionem CELSI imaginem adumbrandi et ad viuum diligenter pingendi dederunt. Haec praefaminis loco priori continentur epiſtola.

Secunda epiſtola aetatem CELSI concernit, qui quum auctore QVINCTILIANO *) ante GALLIONEM ſeniorem vixit, primis Imperii AVGVSTI annis ſcripſerit neceſſe eſt, vnde et aureae aetatis ſcriptoribus iure eſt accenſendus, quod et elegantia ſtili dictioniſque grauitas ſatis comprobare videntur. GALLIONIS autem nomen Noſtro anſam ſuppeditauit de eius declamationibus amicitiaque cum OVIDIO et SENECA, et prouerbio *plena Deo* fuſius agendi, qua occaſione Mecaenati tribuit ſenſus boni deprauationem, his temporibus ortam et ad poſteriora fideliter propagatam, cui et OVIDIVS ſua quaeque contulit. p. 11. p. 13. p. 14. p. 15. p. 17. p. 20. p. 21.

Tertia epiſtola probat ex ASCLEPIADIS eiusque ſucceſſoris morte, THEMISONIS nimirum, dequo CELSVS **) dixit THEMISON *nuper*, CELSVM ſub AVGVSTO ſuos compoſuiſſe libellos. Accuratius autem in Epocham, qua ASCLEPIADES floruit, inquirit, eo praeprimis conſilio, vt dubitationibus quibusdam ſeſe opponat acriter, PLINIVMQVE refutet, ASCLEPIADEM quemdam Grammaticum, qui temporibus POMPEII M. celebris fuit, cum Medico eiusdem nominis confundentem. Quum autem CICERONIS auctoritas, annum 663 morti ASCLEPIADIS aſſignantis, obiiciendo quodam anachronismo labefactaretur per Cl. Abbatem Peruſſinum Cerbonium, eam magis confirmatus eſt, tandem philologico criticas obſeruationes haud contemnendas de formula *nuper* THEMISON adiecit. p. 25. p. 26. p. 27. p. 33. p. 35. p. 37.

Epiſtola

*) Orat. Inſtitt. L. III. c. 2. **) L. III. c. 4.

p. 40. *Epiſtola quarta* de tempore, quo CELSVS ſuos commentarios ſcripſit, diſquirit, quod quidem breui poſt THEMISONIS mortem fuiſſe conſtat, quum ad eum vſque hiſtoria medicinae a CELSO in praefa-
p. 41. tione tradita pertingat, quocum PLINIVS conſentit, quippe qui repetitis omnibus a CELSO proditis rebus vlterius in hiſtoria deſcribenda progreditur, et ſtatim ANTONIVM MVSAM ſubiicit. Ex quo iure colligit Cl. Auctor CELSVM ante ANTONIVM vixiſſe
p. 43. vitam, quia ob celebritatem nominis cum praeterire
p. 44. neque potuiſſet, neque debuiſſet, praecipue quum ipſe ſtatua iuxta AESCVLAPII imaginem publice exſtructa ſumtibus honoratus ſit, et tanquam medi-
p. 45. cus AVGVSTI primarius in curando iecinore vitiato
p. 46. Imperatoris inclaruerit. Qualis autem ille morbus fuerit, qualis morbus alius cuiusdam *perſonae ſplendidae*, vix determinare audet Cl. BIANCONI, ſed quid
p. 48. per *contrariam medicinam* ſit intelligendum clarius verboſiuſque illuſtrando explicat. Obiter quoque
p. 56. reprehendit IOH. HARDVINVM, ſtatuentem immerito ANTONIVM ASCLEPIADIS fuiſſe auditorem.

p. 58. *Epiſtola quinta* argumentum de ANTONIO MVSA magis illuſtrat, quem CELSVS quidem ſilentio multis difficultatibus vtique implicito praeteriit, et qui tamen familiaris et medicus HORATII fuit.
p. 59. ANTONII quidem auctoritas collapſa morte MARCELLI infeliciſſime percurati dubitationem aliquam
p. 61. poſſet mouere, verum quum tota hiſtoria auctoritate vnius DIONIS CASSII partium ſtudio ſeducti, et
p. 62. hac in re fide deſtituti nitatur, cui PROPERTIVS contradicit aliam mortis cauſam afferens, et VELLEIVS PATERCVLVS, SENECAQVE, ne MARCELLI
p. 64. quidem mentionem faciant, MARCIAM ob filii obitum conſolantes, illa dubitatio euaneſcit protinus.

Epiſtola

Epiſtola ſexta ad obiectionem a Cl. HANNIBALE MARIOTTI factam reſpondet, qua aſſeruit CELSVM TIBERII vixiſſe temporibus, prouocando ad loca COLVMELLAE *) in quibus CORN. CELSVS et IVLIVS Attici viri temporum eius nominantur. Sed hoc non obſtante CORN. CELSVS temporibus COLVMELLAE ſcriptor eius contemporaneus dici poteſt, hoc tantum diſcrimine obſeruato, vt CELSVS ſenex fuerit, COLVMELLA vero virilem egerit aetatem. Simili ratione Cl. LVDOVISI obiectio, a vita SCRIBONII et CASSII petita, quae Cl. BIANCONI aduerſari videtur, diremta ac diſcuſſa eſt. Verum nouam pauloque intricatiorem propoſuit Cl. MARIOTTIVS dubitationem ex PLINIO petitam. Is enim docuit colicam TIBERII innotuiſſe temporibus, verum quum de ea egerit CELSVS, exinde colligit, eum vel temporibus TIBERII ſcripſiſſe, vel paulo poſt. Verum colicam ante TIBERIVM Romae extitiſſe certiſſimum eſt, vnde lectionem apud PLINIVM in voce colica deprauatam eſſe a librariis liquet. Haec tamen diſputatio hanc vtilitatem praeterea attulit, vt fuſius de quinque nouis PLINII morbis actum ſit, videlicet de *Lichene*, de *Carbunculo*, de *Elephantiaſi*, de *Gemurſa*, et tandem de *Colo*, qui poſtremus morbus ex alio a librariis per metaſchematiſmum profectus.

p. 69. p. 71. p. 72. p. 74. p. 76. p. 79. p. 81. p. 84. p. 85.

Epiſtola ſeptima de libris CELSI agit, inter quos *artes* primum occupant locum, quarum argumentum fuit *introductio* in omnes artes, quam vulgo vocant *encyclopaediam*, quod veteribus ex codicibus patet, exhibentes titulum. *Artium* A. CORN. CELSI *Liber VI. medicinae vero liber primus;* vnde ſimul coniicit Noſter antecedentes de *re ruſtica* et *pecuaria* egiſſe. Plura quoque volumina CELSO tribuun-

p. 95.

*) De R. R. L. Lib. I. c. 1. L. III. c. 17. L. IV. c. 8.

p. 96. tribuuntur, v. c. *initia rhetorica, rei militaris pru-*
p. 97. *cepta, philoſophiae commentarii, de apibus eorumq-*
p. 98. *cura commentationes, ſcholia in* VIRGILIVM etc. qua-
p. 100. prorſus interiere. Libros de re medica aeque a-
p. 102. re ruſtica a PLINIO fuiſſe vſurpatos proxime verita-
p. 108. accedit, quum iiſdem paene verbis vſus ſit. Verum
p. 111. in admirationem forte quis trahi poſſet, quod ne-
que GALENVS neque COELIVS AVRELIANVS ne
vno verbulo eorum meminerint. Qui autem bene
perpendit GALENVM et Latinorum fuiſſe contem-
torem et Latinae linguae propemodum ignarum,
p. 113. AVRELIANVM autem SORANVM EPHESIVM ſibi
elegiſſe ducem, et AFRICANVM quoque fuiſſe, vi-
forte CELSVS non innotuit, omnem dimittet admi-
p. 115. rationem. Tandem Cl. Auctor rationem reddit, cur
tantum libri de medicina ſuperſint, quam in eo re-
perit, quia vnicus fuerit libellus in ſuo genere me-
dicus perfecte elaboratus, quo carere Romani non
poterant, ideoque ſaepiſſime eum deſcribendum
curarunt, reliquorum autem CELSI librorum alia
prorſus fuit ratio, quum alii eiusdem argumenti
libri ab aliis concinnati exſtarent et in omnium ver-
farentur manibus.

p. 117. *Epiſtola octaua* diſputat de praenomine CELSI,
quod AVLVS *) nequaquam vero AVRELIVS fue-
p. 118. rit ex codice Vaticano docet. Patriam CELSI quod
attinet, neque Parmenſem neque Veronenſem eum
fuiſſe aſſerit Cl. BIANCONI, ipſi ſufficit eum vitam
p. 120. Romae degiſſe, eum quoque ex nobili et ingenua
progenie natum eſſe affirmat et quidem ex gente
p. 121. *Cornelia*, quamquam et viliſſimi homunciones hoc
p. 123. adoptauerint nomen. Verba quoque facit de exi-
mia CELSI doctrina et animi probitate, quae potiſſi-
mum

*) Vide GOTTLIEB STOLLENS *Anleitung zur mediciniſchen Gelahrheit.* p. 65.

ium cernitur in abominatione viuorum mortique p. 124.
ddictorum hominum anatome, in laudibus HIPPO-
CRATI ob ingenuitatem confessionis erroris cuius- p. 125.
dam tributis, et in verecundia, qua morbos delineat
membrorum ad generationis negotium pertinen-
tium. Denique traditur, CELSVM *) artem medi- p. 127.
cam non exercuisse, eiusdem tamen fuisse peritissi-
mum, qua quidem in re multos habuit aemulos Ro-
manorum, quippe qui sibi honori ducerent artis
medicae non prorsus expertes esse, vnde CICERO, p. 131.
VARRO, OVIDIVS, VIRGILIVS, LVCRETIVS, LV- p. 133.
CANVS artis medicae luculenta vestigia in suis libris
ostendunt.

Epistola nona demonstratur CELSVM fuisse co- p. 140.
mitem et amicum TIBERII in itinere expeditionis
bellicae causa instituto in orientis regiones, quod ex
HORATIO **) patet, qui tamen Bibliothecam Pa-
latini APOLLINIS spoliasse dicitur, quod neque eo p. 141.
consilio dictum ab HORATIO videtur, vt ei labem p. 146.
adspergat, erat enim familiarissimus CELSI, sed vt
de eius studio litterarum iusto testimonium perhi-
beat. Rerum enim disciplinarumque diuersitas mul-
tam lectionem requirebat assiduamque, librique eo
potissimum consignantur fine, vt eos vere in no-
strum conuertamus vsum. Etsi compilatorem quis p. 148.
dicere eum mallet, non adeo refragatur Noster, at
innuit tamen multas ingenii dotes requiri, si quis
hoc

*) Olim in veteri Roma a seruis medicinam fuisse exer-
citam vulgaris est opinio A. IOH. FR. IVGLERI comm.
de nundinatione seruorum, et medico Romano seruo
sexaginta solidis aestimato, Lips. 1748. et M. IOH.
BENVENVTI, della condizione de' medici presso gli
antichi, Pisae et Romae, 1779. 8.

**) L. I. Epist. 3.

hoc defungi velit officio, ita, vt inutilia probo
p. 149. vtilibus ſecernendo ſeparet, excellenti autem ingenio CELSVM fuiſſe praeditum declarat atque eum aduerſus QVINCTILIANVM *) defendit, aſſerentem eum non in primis ſcriptorum, tamen in ſecundis tertiisque conſiſtere. Contra quam quidem
p. 150. opinionem fortaſſe quis moneat, CELSVM ab HORATIO non indigitari, quia CELSVS recentior ſit et cognomento ALBINOVANVS appelletur; verum CELSVM non eſſe recentiorem ex ſupra dictis patet, cognomen autem non ſemper apponi multis exemplis declaratur, eumque omnino hoc cognomine ſalutatum inſignitumque fuiſſe probatur illorius. A crimine autem compilationis nefariae liberatur
p. 155. per illam ſocietatem, quam TIBERIVS nomine *ſtudioſae cohortis*, cuius erat ſocius, ſecum abduxit.

p. 159. *Epiſtola decima* demonſtratur, CELSVM OVIDIO
p. 160. familiariter fuiſſe vſum cum C. IVLIO HYGINO, IVLIO ATTICO, IVLIO POMPONIO Graecino, qui ſcriptoribus Georgicis iunguntur, inque eius
p. 164. laudem noſtris quoque temporibus elegia OVIDII **)
p. 167. exſtat. Quam quidem amicitiam in palatio FABII MAXIMI contractam quotidianaque conſuetudine magis magisque confirmatam multa egregiaque teſtimonia a Noſtro propoſita nos dubitare ſinunt mi-
p. 168. nime. Hanc familiam MAXIMI non ſolum ſingulari nobilitate, generis ſplendore, et doctrinae copia nobilitatam et frequentia hominum doctorum quotidie paene ornatam fuiſſe pluribus explicat Noſter, atque aſſerit quamplurimos ibi viros doctrina excellentes in eius palatio eo potiſſimum conuenisse conſilio, vt ſuos conſcriptos libellos praelegendo examini

*) Orat. inſtit. L. XII. c. vlt.
**) L. de Ponto L. I. El. 9.

examini atque censurae amicorum submitterent;
quod peculiari solennique formula recitare dixe- p. 170.
runt. Sic VIRGILIVS sua Georgica, OVIDIVS He p. 171.
roidas, Medeam, Libros amorum, de Arte amandi p. 172.
et alii suos quoque recitarunt libros. CELSVS au-
tem et OVIDIVS amicissimi fuerunt MARTIAE, dul-
cissimae FABII coniugis, et haec est causa, propter
quam OVIDII coniux sociali vinculo cum MARTIA p. 173.
intime fuit vnita et *comes* dicta. Ex omnibus his
determinat, qua periodo CELSVS suos confecerit
libros, quam intra annum A. V. C. 724 et 731 col-
locat. Hoc tempore praeterlapso, post reditum p. 177.
videlicet CELSI, omnia in domo AVGVSTI in dete- p. 179.
rius vergere videbantur. LIVIA multis artibus et
astu, ambitioneque erat impraegnata. OVIDIVS p. 181.
tandem in exilium mittebatur. CELSVS ipsum
quouis consolatus est modo, ipsique omnia bona
sperare iussit. At quatuor annis post exilium OVI-
DII elapsis, CELSVS senex mortuus est, et MAXI- p. 183.
MVS eius exsequias honorificas esse curauit. MAR-
TIAM autem aduersus PLVTARCHVM eius fidem p. 187.
dexteritatemque in ius propter mariti fatum letale
vocantem defendit. Qua defensione suscepta et
finita, ad CELSVM OVIDIVMQVE Cl. Auctor oratio- p. 189.
nem redire iubet, et CELSVM OVIDII, eum ipsum
nostrum CELSVM esse statuit, prouocans ad Ele-
giam, qua posteritati innotescere voluit, sese ha-
buisse amicos eruditionis copia generisque nobili-
tate conspicuos, vnde et post funera CELSVM erga
MAXIMVM laudibus extollit. At quum OVIDIVS p. 193.
HYGINVM ex suis libris exsulare iussit, inde factum
esse videtur, quod cum ipso HYGINVS malefice et
iniuriose egerit, eiusque rei causa Ibin ab OVIDIO p. 194.
compositum esse statuit Noster. Sed necessitudinis p. 196.
quatuor Georgicorum scriptorum cum OVIDIO
hanc subesse censet causam, quoniam ipse agricul-

turae et ſtudioſiſſimus fuit et amantiſſimus, quod vberius et dilucidius explicatur.

p. 204. *Epiſtola vndecima* hiſtoriam Codicum CELSI
p. 204. manu exaratorum ſiſtit, primo loco Codicem Va
p. 211. ticanum collocat, ſecundo loco ponit Codicem Flo rentinum Bibliothecae Mediceae, qui fuit Codex
p. 227. AMBROSII Mediolanenſis. Tertius Codex LINDE NII mendoſus Pariſinus eſt, hunc excipiunt tres alii
p. 231. Codices Vaticani, et quinque eiusdem tenoris, ſed
p. 233. multo recentiores. Sex Codices Bibliothecae Ma
p. 234. diceae. Alius Codex in Bibliotheca Eſtenſi, in
p. 236. Bibliotheca Electorali Manheimenſi, aeque ac Elec
p. 237. ctorali Bibliotheca Monacenſi, alius Bibliothecae
p. 238. Ambroſianae et ſex Codices a DIONEO ad editio
p. 239. nem ROVILLII collati. In Hiſpania et Magna Bri tannia multi quoque exſtant, quorum tamen exacta ad nos nondum peruenit notitia, et ſicco, quod aiunt, pede etiam Codices a MORGAGNIO collatos tranſiit Cl. Auctor. Egregie ſuo officio in his deſcribendis iudicandiſque verſatus eſt Cl. Auctor, vt omnes ad exemplum eius ſeſe conformes reddere teneantur, qui hiſtoriam critico litterariam auctorum veterum conficere ſtudent.

p. 250. *Epiſtola* tandem *duodecima* varias editiones
p. 252. CELSI ſub examen vocat. Antiquioribus quidem palma prae LINDENII aliarumque ad eius exemplar expreſſarum conceditur, quia LINDENIVS ingenio ſuo nimium indulſit, et in coniecturis fingendis proponendiſque paulo licentius, quam par
p. 254. fuit, verſatus eſt. Recentiores inter editiones Lipſienſi a Cl. CAROLO CHRISTIANO KRAVSIO ador-
p. 255. natae iuſtas decentiſſimaſque tribuit laudes aeque ac additis a Venerando ſene DANIELE GVILIELMO TRILLERO obſeruationibus emendationibuſque

Nec

Nec ſpernendam eſſe LEONARDI TARGAE Vero- p. 258.
nenſis editionem propter Codicum collationem. p. 258.
Recentiſſimam vero Pariſinam Cl. VALARTI praeter literarum elegantiam et chartae nitorem nihil continere, quod lectores litterarum cupidos allicere poſſet, aſſerit. Editiones plures promiſſae ſunt, ſed Editores promiſſis non ſtetere, quorſum pertinet GRONOVIVS, Medicus Lugduno Batauus, LVCHTMANNI fratres Bataui, et ipſe BIANCONIVS, ſed p. 260. p. 261.
quum Cl. LVPPACHINI editionem aliquam curan- p. 262.
dam ſibi ſumſit, ipſi ſuas ad vſum tradidit chartas, verum LVPPACHINI non cunctando, prouti interdum fieri ſolet, perdidit rem, ſed hydrophobia cor- p. 263.
reptus et exſtinctus hanc ſpem ſecum lenes abripuit in auras. Chartae autem Bianconiae ad Cl. Abbatem MARIOTTI redierunt, a quo propediem editionem nouam CELSI magno cum deſiderio exſpectamus. Quod reliquum eſt Noſter conqueri- p. 264.
tur falſo a Cl. ERNESTI in Bibliotheca latina FABRICII ipſi tribui, ſe accepiſſe a B. GVNZIO, qui idem conſilium CELSI edendi inierat, chartas, quae cum non ita ſint, ingenue, vt virum probum decet, remouet.

Coronidis loco adiecta ſunt editoris Cl. con- p. 267.
ſilii declaratio, quod in edendis his epiſtolis habuit, et Cl. TIRABOSCHII reſponſio, qua Cl. Auctor gra- p. 269.
tias agit ob correctiones et emendationes, quibus p. 278.
ſuam hiſtoriam litterariam illuſtrare et perfectiorem reddere ſtuduerit. Index huic libello adiectus maiorem ipſi gratiam vtilitatemque conciliat, ſumma enim cura eum factum eſſe intelleximus. Ceterum ſuſpicionem ob acceptas a Cl. GÜNZIO obſeruationes in chartas coniectas Cl. KRAVSIVS in epiſtola praemiſſa Teutonicae editioni, verboſius a Noſtro remouet, atque affirmat ſe huiuſce rei cauſa ad Cl.

Filium B. GÜNZII poliatrum Waldheimenſem litteras dediſſe, quibus rei veritatem experiri voluit, et a quo demum certior ſit factus, ipſum omnia, quae a patre in chartas ſuper CELSI libros ſint coniecta, in ſcrinio ſeruare.

XX.

D. IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole, und eines kleinen zu Verſuchen ſehr bequemen Elektricitätträgers. Bey welcher Gelegenheit zugleich von einem Luftelektrophor vorläufige Nachricht ertheilet wird. Regensburg, bey Montag, 1778. 4 Bogen in 4. mit 3 Kupfertafeln.*

i. e.

Delineatio et deſcriptio ſclopeti minoris electrici atque electrophori experimentis admodum idonei. Accedit de aëreo electrophoro relatio. Auctore I. C. SCHAEFFERO.

Conſtitit nuper ALEXANDRI VOLTAE *). Itali tentaminibus, eam eſſe electrici ignis indolem atque naturam, vt, quemadmodum alia inflammabilia corpora, ita etiam phlogiſto refertum aërem lubenter accendat, modo idonea ratione cum hoc ipſo aëre, eoque vel ex lacubus collecto, vel chemico artificio acidi vitriolici ope martis limatura expulſo electricus ignis communicetur. Atqui hanc ipſam rationem cum ſibi repetitis experimentis SCHAEFFERVS reddiderit cognitam, eam in hoc libello accurate deſcribere, iconibusque illuſtrare ſtuduit. Hinc primum refert, cuius indolis machina

p. 10.

*) *Briefe über die entzündbare Luft der Sümpfe, von* ALEX. VOLTA. *Aus dem Italieniſchen überſetzt, von* C. H. KÖSTLIN. *Strasburg.* 1778.

machina ipſa accendendo inflammabili aëri accommodata, ſiue ſclopetum minus, eſſe, et quibus ex partibus ea confici debeat; deinde enarrat modum, quo in generando, colligendoque inflammabili aëre vtendum ſit, ſimulque, qua methodo ſclopetum aëre hoc implere conueniat, exponit, et tandem explicat, quid interſit agere, vt aër accendatur, ſclopetumque diſplodatur. In his autem problematibus ſoluendis ita omnino verſatus eſt Cl. SCHAEFFERVS, vt perſpicuitatis vbique habuerit rationem. Siue enim ſpectemus ea, quae ad ſclopetum ipſum parandum pertinent, ſiue ad methodum, qua in hoc inſtrumento aëre inflammabili implendo vti conueniat, reſpiciamus, ſiue ad alias enchireſes advertamus animum, nihil nos abeſſe ab iisdem deprehendimus, quod illi, qui huiusmodi negotiis peragendis operam impendere velit, poſſit prodeſſe. Hinc commendandum valde hunc tractatum, quemadmodum etiam annexas eidem de electrophoris diatribes, quibus quippe eaedem laudes debentur, illis eſſe, qui electricis experimentis delectantur, perſuaſiſſimi ſumus. Ceterum, etſi huius libelli dignitas id omnino exigeret, vt in eodem recenſendo eſſemus prolixiores, plura tamen referre cum inſtituti noſtri ratio, tum iconum defectus vetat; nam ſterilis profecto atque hiulca futura eſſet omnis noſtra oratio propterea, quod figuris eam illuſtrare haud poſſumus.

p. 12.

p. 17.

p. 19.

XXI.

Noua physico Medica.

Academia Regia Scientiarum *Parisiensis* quaestionem, quae vasorum lymphaticorum systema, eiusque expositionem spectabat, an. 1777 proposuerat. Quum vero nulla ex tractationibus missis Academiae praemium mereri videretur; constituit hanc quaestionem, quae pertractaretur, rursus proponere. *Y a-t-il des vaisseaux lymphatiques des plusieurs especes, comme on l' avoit d' abord annoncé? Quelle en est l' origine et la terminaisson? Toutes les parties du corps en sont-elles pourvues? Comment ces vaisseaux se comportent-ils dans les glandes conglobées? Enfin quelle est la route, que suivent ceux de leurs troncs qui peuvent être rendus sensibles? Suntne vasa lymphatica varii generis, vt quidam affirmarunt? quaenam est eorum origo, et quorsum terminantur? Suntne omnes corporis partes his ipsis vasis instructae? Quae eorum est ratio in glandulis conglobatis? Qualem denique viam deligunt illorum rami e trunco egressi, quatenus oculis cerni possunt?*

Haec sunt notatu dignissima, quae Academia, diligenter vt explicentur, optat, ita vt nihil, nisi facta tradantur. Anatomia comparata hoc modo anthropotomiae subuenire poterit, si in statu sanitatis, nequaquam vero morbi, consideratur, quia hoc in statu organisatio partium, naturae organisationi non satis quidem respondet. Sed vt viris doctis tempus concederetur, quo inuestigare possent, qua ratione haec res difficilis magis plana atque perspicua redderetur, vsque ad conuentum Paschalem an. 1782. vbi praemia distribuenda essent, distulit; tractationes autem ante Cal. Ianuar. eiusdem anni mit-

ten-

tendae sunt. Quum obseruationes, quae noui quoddam prae se laturae essent, inquirere decreuerit; vt editores, quo modo hac in re versati sint, de instrumentis, quibus vsi sint, de substantiis, quas iniecerint, rationem redderent, postulauit. Praemium est 1500 librarum. Cuiusuis nationis viri litterati ad hanc rem elaborandam inuitati sunt, etiam membra Academiae peregrina; ordinariis palma Academiae non continget. Tractationes lingua Latina s. Gallica scriptae, vectigalibus solutis, ad secretarium Academiae mittendae sunt.

Societas Regia Scientiarum *Haunienſis* quaerit *geneſin aëris puriſſimi, vulgo dephlogiſticati, ex calcibus metallorum, vel per ſe, vel acido nitri ſaturatis, nouis experimentis ad maiorem claritatis gradum perducere, caput mortuum exactius examinare, et inquirere, anne eadem aëris ſpecies ope aliorum acidorum produci queat?*

Libelli Germanice, Danice, Gallice aut Latine scripti ante exitum mensis Augusti 1781. impensis solutis, ad Secretarium Societatis, Equitem DE DANEBROG mittendi sunt. Praemium est moneta aurea centum thalerorum.

Academia Scientiarum Regia *Burdigalenſis* in annum 1781. optat huius quaestionis solutionem: *Quae inſecta variis vitibus maximum afferunt detrimentum*, et *quae reperiuntur remedia, quibus haec animalcula aut plane exſtirpentur, aut qua ratione certis eorum ſaeuitiae ſubueniatur?*

Cuius libellus Academiae exspectationi respondet, is praemio condecorabitur trecentis libris.

Eadem Academia in annum 1782. quaestionem propoſuit hanc: *Quae cauſa ſubeſt lecti mine-*

ctioni, ſiue incontinentiae vrinae in ſomno? Quid eſt, quod originem huius infirmitatis praebeat? Eſtne conſuetudini tribuendum, atque apparet tantum ſtatis temporibus, nec ne? Et quae extant remedia aduerſus hoc malum experientia diuturna confirmata?

Commentarii, ſolutis vectigalibus, Gallice aut Latine ſcripti ad Cl. LAMONTAINE, Conſiliarium comitiorum Guyennenſem mittendi ſunt. Praemium, cuius auctor matrona eſt, conſtat trecentis libris.

Electoralis Academia Scientiarum *Manheimenſis* in annum 1781 quaeſtionem hanc cum viris eruditis communicauit.

In animalibus fulmine vel naturali vel artificiali percuſſis, cauſam mortis indubiis obſeruationibus et experimentis definire.

Praemium eſt duplex, ſingulum quinquaginta numorum aureorum Hollandicorum. Quae praeterea ſunt attendenda, in mittendis commentariis ſupra monuimus.

Upſalienſis Scientiarum Societas Cl. viros IACQVINVM, Profeſſorem Vindobonenſem, FONTANAM Abbatem Florentinum, BERNOVLLIVM Profeſſorem Berolinenſem et MASKELYNVM, qui Gronvici prope Londinum degit, inter ſuos Sodales recepit.

IOANNES CHRIST. FRIDERICVS SCHARF Medicinae Doctor et Practicus *Ilmenavienſis* inter ſodales Academiae naturae curioſorum receptus eſt ſimulque COSMI cognomen obtinuit.

A Societate Regia Scientiarum *Haunienſi* reportauerunt praemium aureum Cl. BLOCH, M. D. Beroli-

Berolinenſis, atque argenteum Cl. IOSEPHVS AVGVSTVS EPHRAIM GÖZE pro quaeſtione, *ſeminium vermium inteſtinalium* cet. attinente et a nobis ſupra *) indicata.

LEONHARD. LVDOVICVS FINKE Medicinae Doctor et comitatus Teclenburgenſis Phyſicus, Profeſſionem medicinae in Gymnaſio Lingenſi nuper obtinuit.

IOANNES ANDREAS MVRRAY a Potentiſſimo Sueciae Rege inter Equites Ordinis Waſaici eſt relatus.

L. CRELL medicinae apud Helmſtadienſes Profeſſor a Sereniſſimo Duce Brunſuicenſi metallicarum rerum conſiliarius factus eſt.

IOANNES STEPHANVS HAVSMANNVS Brunſuicenſis Medicinae Doctor, Anatomiae in collegio anatomico chirurgico Brunſuicenſi, poſt obitum HOLLINI **), factus eſt Profeſſor.

DE LA SONE in LIEVTAVDII ***) locum ſuffectus eſt.

Mortui ſunt:

PAVLVS S' GRAEVWEN medicinae, botanices et chemiae Profeſſor apud Groningenſes 11 Octobris 1779. *Gröningiae*, natus erat 1715.

IOANNES PAVLVS LIMPERANI medicinae Profeſſor *Romae* 1779 octogeſimo aetatis anno.

D. S. VON MADAI medicinae Doctor, Iulii die 11. 1780. ſeptuageſimum primum aetatis agens annum *Halae*.

IOANNES

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 343.
) vid. ſupra. p. 525. *) vid. ſupra. p. 246.

IOANNES BAPTISTA PASSERI Iurium Doctor, ... riis ad naturalem hiſtoriam ſpectantibus ... ptis, quae olim laudauimus, clarus, *Peſari* ... 4 Februarii 1780. Natus erat die 10 nouem... bris 1696.

IOANNES METZGER Aſtronomiae Profeſſor Mann... hemenſis, iunio 1780.

ADAMVS NIEZKY medicinae ordinarius Profeſſ... d. 27. Sept. 1780. *Halae.*

HIERONYMVS DAVIDES GAVBIVS medicinae ... Academia, quae *Lugduni Batauorum* flor... ordinarius Profeſſor, quo ſeſe addicauerat mu... nere 1775. ob ſenectutem, aetatis anno ſe... ptuageſimo ſexto die 29 nouembris 1780.

IOSEPHVS LIEVTAVD die 6 decembris 1780. P... *riſiis* ſeptuageſimum ſextum celebrans aetat... annum.

IO. NEPOM. FELLNER medicinae Doctor et Phy... ſiologiae Profeſſor die 12 eiusdem menſis ... anni. *Vindobonae* anno aetatis triceſimo.

CAR. PHILIP. GESNER, Medicinae Doctor d. 25 Iul. 1780. *Dresdae.*

CETTI Auctor libri Deſcrizione de la Sardeigna, Tom. I. – III. 1774 – 1777. cuius prima pars mammalia, altera aues, tertia piſces et amphi... bia continet, paulo poſt editionem huius libri.

IOANNES FOTHERGILL. *Londini* eodem menſe et anno ſexageſimum nonum aetatis annum numerans.

IOANNES DANIEL FLAD, qui de naturali potiſſi... mum hiſtoria bene meruit, *Manhemii.*

SAMVEL MVSGRAVE, *Londini* 1780.

IOANNES LVDOVICVS BIANCONI *), *Romae* pri... mo 1781. anni die apoplectico inſultu, annos viuens ſexaginta et octo.

IOANNES

*) vid. ſupra p. 113.

IOANNES ADAMVS HOFFMANN medicinae in Gymnasio Herbornensi Professor et Physicus prouincialis septimo 1781 anni die septuagesimo tertio aetatis anno *Herbornae*.

I. G. RVNGE Medicinae Doctor, Anatomiae et Physices Professor et Poliater ianuario 1781. *Bremae* quinquaginta et quinque annos inter vivos versans.

ERNESTVS IEREMIAS ROLLINVS Medicinae Doctor et Anatomiae Professor in collegio anatomico chirurgico *Brunsuici* ianuario 1781. Annos septuaginta et quatuor vixit.

Viri Cll. C. B. FVNCCIVS, N. G. LESKE, et C. F. HINDENBVRG, Professores Lipsienses, edere coeperunt: Promptuarium physico mathematico oeconomicum, (*Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie,*) cui potissimum nouae obseruationes ex indicatis disciplinis, vel ab Editoribus, vel ab aliis viris doctis factae, tum versiones notatu digniorum et rariorum obseruationum aliis, quam Germanica lingua, scriptarum, et denique censurae librorum, qui vel ad Editores missi fuerint, vel aliis ex caussis Lectoribus indicari mereantur, inserta erunt. Suis sumtibus edere constituerunt, cuius pars singula, quatuor fasciculos plagularum 8 continens, pretio praenumerando 1 thaleri, postea autem 1 thal. et 8 gross. constabit: caeterum etiam prostat hoc promptuarium in *bibliopolio eruditorum, Dessauiae* hoc 1781 anno fundato.

Memoria

Memoria AVGVSTINI ROVX, Doctoris Regens et Profeſſoris, Pharmaciae Facultatis Medicae Pariſinae Academiae Regiae Scientiarum Burdigalenſis et Societatis Regiae Pariſienſis agriculturae ſodalis.

Cum omnia beneficia diuina laudanda ſunt, tum haud ſcio, an illud in primis admirandum videatur, quod in animorum ingeniorumque varietate incredibili elucet. Nihil hoc ad Philoſophiae ſubtilitatem grauius, illo ad Mathematices ſeueritatem doctius; alio nihil ad artium bonarum ſenſum acutius, alio ad hiſtoriae cognitionem promptius; fertur hic ad picturam, ille ad ſtatuariam rapitur; alius, quidquid militaris ratio magni habet, facile perſpicit, alius celeriter magnoque cum profectu pacis artes cognoſcit, denique quot diſciplinae ac artes, tot ingeniorum copia exſtat, vt quidquid vel ad vitae noſtrae neceſſitatem vel commoditatem perfectionemque pertinet, id in ſumma illa ingeniorum varietate nobis conceſſum laetemur. Quo tamen in genere ſaepiſſime dolemus ſiue iuuentutis leuitate, ſiue eorum, qui eam moderantur, vanitate ac imprudentia ita peccari, vt in maximum ſocietatis humanae detrimentum longe alio multi deferantur, quam quo ratio atque natura eos vocare videbatur. Nam quum vis ingenii atque indoles non ita ſemper pateat, vt a quolibet ipſo aut eius parentibus poſſit cognoſci; in promtu eſt, omnes, qui animum ad aliquod diſciplinae et vitae genus applicant, ipſos debere diligenter indagare, quo maxime natura ducantur; parentes vero in iudicandis filiorum ingeniis non ſatis acutos ſtultiſſime facere, ſi ad hoc illudue genus vitae eos cogant, nec tam publicam vtilitatem, quam ſua commoda ſpectanda arbitrentur. Quae quidem temeritas

meritas, non dubitandum eſt, quin plus damni omni tempore allatura fuiſſet, niſi interdum natura vim pietatis aut etiam temeritatem fortunae ſuperaſſet. Quo nomine ab aequiſſimo quoque maxime laudatur ſummus nuper medicus AVGVSTINVS ROVX, cuius nos ſummis in Medices artem meritis careremus, ſi parentum potius precibus, quam naturae auctoritati concedendum putaſſet.

Natus ille Burdigalae an. 1726. m. Ian. parentibus honeſtis, ſed pauperibus. Ad quos ſublevandos quoniam ſacro munere nihil tum putabatur abundantius, huic a parentibus vouebatur, eamque ob rem e Societate Ieſu Magiſtris tradebatur. Pertaeſus mox ſcholaſticae Philoſophiae, omne, quod ab ſtatis laboribus tempus ipſi relinquebatur, in primis MALEBRANCHIO et LOCKIO omninoque doctoribus Mathematices dedit, cuius initia a THESI quodam eius diſciplinae peritiſſimo hauſerat. Non ita multo poſt imbutus Philoſophiae non parua cognitione, Medicinae ſtudium inuito patre prae ſe ferebat. A quo deſtitutus quanquam non parum ipſi cum paupertate erat conflictandum; tamen natura vicit, et illa, quam ex laboribus capiebat, voluptas, fortunae acerbitatem mitigauit. Quum Burdigalae ducem praeclarum, GREGORIVM, Patrem, Medicum facile Principem atque veterum linguarum intelligentiſſimum, ſibi elegiſſet, in eoque audiendo multum profeciſſet; contigit ipſi operam ſuam probare CEL. BARBOTO Praeſidi, a quo commendatus magno MONTESQVIO quantum rerum ſuarum Fautorem nactus eſſet, intellexit. Hic enim haud ignarus ingenii eius atque adeo fortunae, quae diligentiam iuuenis facile poſſet opprimere, ad confirmanda ſtudia eius ipſi dedit, vnde honores Academicos peteret. Itaque anno huius ſaeculi quinquageſimo Doctor Medicinae creatus non deſiit per aliquod

adhuc

adhuc tempus GREGORIVM Praeceptorem sequi cuius auctoritate etiam iter facere instituit Parisios Lutetiorum, vt arte sua exercenda cum maiorem sibi vsum compararet, tum fortunam suam augeret. Ibi quum multos condiscipulos olim suos doctrina morumque elegantia sibi deuinxisset, liberaliter atque honeste vixit. Linguam etiam Anglicanam doctorum quorundam consilio breui tempore ita didicerat, vt Transactiones Philosophicas, atque WHYTTII Tentamen Gallice vertere posset. Cuius quidem ad libri frontem conspiciuntur quaestiones chemicae super aqua e calce ducta admodum doctae, vnde, qualis aliquando futurus esset, et quantum e RVELLII Magistri doctissimi lectionibus profeciisset, non obscure patebat. Tentamen WHYTTII excipiebant quaestiones historicae atque criticae super variis modis liquorum refrigerandorum *), vbi veluti in tabula quadam omnia, quae de hac materia scripta sunt, magna cum fide exhibentur, estque hic libellus omnium, quos scripsit, facile princeps, cuius ad finem CVLLENI Prof. Med. Glasguensis atque BAVMII de refrigerationum causis sententias comparauit.

Anno 1760 amicorum inprimisque DVHAMELI liberalitate Facultatis Parisiensis honores consecutus erat, quo tempore VANDERMONDI **) mors praematura necessitatem ipsi imposuit, Diarii Medici scribendi, quod his nostris in commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis ab initio recensuimus ***). In quo etsi perquam humanitas

*) vid. comm. nostr. Vol. VIII. p. 240.
**) v. comm. nostr. Vol. XI. p. 169.
***) Primum tomum v. comm. nostr. Vol. VI. p. 491. reliquos tomos diarii in sequentibus commentariorum voluminibus.

niter grauiterque verſabatur; tamen non poterat non contentionem inire cum ROLINO quodam, qui de aquis mineralibus ſcripſerat, cui offenſo reſpondit ita, vt doctis omnibus elegantiam iudicii ſui probaret. Primum Diarii volumen, quod ſub eius nomine prodiit, initium cepit anno 1762, et ad mortem eius vſque eſt productum.

Eodem fere tempore ſcribere inſtituerat Encyclopaediam portatilem, cuius duae partes prodierant 1761 ſine nomine eius, quae modeſtia fuit, vt etiamnunc multi Auctoris nomen ignorent, eiusdem libri tertia pars ab eo elaborata eſt. Itaque poſtquam adſcriptus erat membris Facultatis Pariſienſis, commendabatur Libero Baroni DE OLBAC, vt curam gereret officinae ſancti *Gobini;* tum vero eam partem medicinae, quae morbis medetur, plane abiecit, atque Chemiae et Phyſicae ſolis ſe dedit, quo eum diu naturalis quaedam cupiditas traxiſſe videbatur. Quanquam vero ex commutato vitae genere modicae admodum res ipſi redibant; tamen non ſine laudanda animi magnitudine ſplendidae fortunae tenuem praetuliſſe celebratur. Itaque proceſſibus chemicis corrigendis occupatus, parandoque vitro intentus tempus conſumſit ita, vt et famae ſuae bene conſuleret, et chemiae rationes non parum augeret. Iam quum Collegium officinae modo commemoratae proceſſus quosdam Anglicanos cognitos habere cuperet, ipſe, vt Londinum iter faceret, rogabatur. Quo ex itinere redux non ſolum Collegii votis reſpondit, ſed etiam foliorum e ſtanno cudendorum artem ſecum reportauit. Scripſit item non ita multo poſt de vitris conficiendis, et de materia vitri, quod *Gobini* eſt, librum, qui tamen, quoniam ſolum in ſocietatis vſum confectus erat, lucem nunquam vidit, nec vnquam videbit. Praeter eius ipſius opera edi

curauit HENKELII de ſulphure tractatum, nec non STAHLII de ſalibus, item Academiae Vpſalienſis Commentarios chemicos, duob. Voll. Horum operum verſio debetur ſtudio OLBACI, ad quem Franco-Gallia eorum, quae in chemia, phyſica atque hiſtoria naturali cognouit, maximam partem defert. Ad annum vſque huius ſeculi ſeptuageſimum medicae tantum, non item chemicae lectiones in Facultate Pariſienſi habebantur; quarum ope quum magnam lucem affuſum iri phyſicae ſapientes intellexiſſent, eius diſciplinae Profeſſorem legere conſtituerunt. At, quum non poſſent honeſtum nouae Profeſſioni ſtipendium conſtituere, omne conſilium haud dubie irritum recidiſſet, niſi Noſter ſuam in hoc genere operam ſpontaneam obtuliſſet. Qua animi magnitudine commota Facultas gratorum ſenſuum teſtem cudi iuſſit monetam parvam et decreta multa honeſta in honorem eius edi curauit. Docuit igitur chemiam ad mortem vſque, magnoque Auditorum confluxui, omnibusque, praeter ſe ipſum, ſatisfecit. At profecto copia eruditionis tantam ipſi famam conciliauerat, vt ad eum audiendum peregrini adeo confluerent; nec dubitandum erat, quin paullo poſt Pariſienſis Academia non multum cederet Lugdunenſi Batauinae *) eo tempore, quo BOERHAAVII fama floreret.

Sed vix ingreſſum ampliſſimum gloriae campum mors praematura oppreſſit, a. 1776. die 18 Iunii, anno aetatis ſuae quinquageſimo primo, poſtquam duodecim dies conflixiſſet cum morbo ab initio parum vehementi, ſed paullatim ita inualeſcente, vt viribus exhauſtus exſpiraret. Natura eum finxerat grauem, ac fortem: ita tamen, vt grauitatem paene omnem in conſuetudine amicorum ſeponeret, ſeque non minus iucundum exhiberet, quam

*) vid. comm. noſtr. Vol. XI. p. 544.

quam alios ad hilaritatem incitaret. In ſermone omni vehemens, animoque ſemper praeſenti: quidquid verum intelligebat, id fortiter ſequebatur atque defendebat, quumque natura haberet ſenſum metaphyſices, atque omnino omnis philoſophiae acutiſſimum, vt nihil non accurate et ſubtiliter cogitaret, contigit ipſi, vt ex vberrimis doctrinae ſuae theſauris, quotiescumque quolibet opus habebat, depromere atque in publicos vſus afferre poſſet: quo in genere excellentis memoriae vis valde eum adiuuit, quae adeo erat fidelis, vt nihil non eorum, quae aut cogitando, aut legendo et audiendo aſſecutus eſſet, firmiſſime retineret, per ſermonem familiarem ita cum amicis communicaret, vt in loquentis negligentia diligenter ſcribentis ſubtilitatem agnoſcere videreris; ſed vt eos, qui omnium familiaritates ambiunt, contemnebat, ita dolum fraudemque plane deteſtabatur: nulla vnquam ſiue auctoritas, ſiue timor ad verum reticendum eum potuit impellere. Fuit et filius pietate optimus, et amicus fide grauiſſimus. Neglectus a parentibus ſuis, tamen in nulla re pietati defuit. Ad ſe inuitauit duos fratres, quorum alter iuuenis admodum mortuus; alter chirurgiae non imperitus ad Inſulas Gallicas profectus eſt, vbi, poſtquam artem ſuam praeclare exercuiſſet, duobus poſt annis e vita deceſſit. Patri octogenario quotannis ex iis, quae diligentia atque parſimonia acquiſiuerat, miſit, vnde ſenectutem tranquillam poſſet ducere. Eadem diligentia comparauerat ſibi praeclarum Laboratorium, et Bibliothecam admodum copioſam. Virtutem eius maxime commendarunt familiaritates ARCETI et IOHANNIS REGIS (JEANROY), quos orationis candor non minus, quam morum ſuauitas diſtinxit. Statura Noſter fuit iuſta, et valetudine firmus, ita, vt nunquam graui morbo ſuccumberet.

Sed ab aliquo inde tempore laborauerat doloribus rheumaticis. Laboris patiens omnes moleſtias perferebat, ſtudiorum ardor vnice eum tenebat, cui eouſque indulſerat, donec ventriculus modum tenere cogebat. Quare inde a multis annis relaxandi animi cauſſa aliquas quotidie horas ſocietati conceſſit. In ſchedulis eius opus inuentum eſt non contemnendum, cuius iam folia quadraginta impreſſa ſunt, ab ordine ac modo valde commendandum. Eſt vero liber hic verſus e Belgica lingua in Gallicam, continetque Lectiones Chemico-Medicas LEWISII, quas Cl. ROVX varie auxit. E parte impreſſa, quae de mineralibus agit, quid de vniuerſo opere ſtatuendum ſit, apparet.

Sunt praeterea quaedam Cl. ROVX elaborationes in diario non diu ante commemorato, quas quidem omnes hic iterum iterumque repetere nolumus, cum ab initio huius diarii tomorum ſummam his noſtris commentariis inſeruerimus. Eiusdem ipſius autem diarii continuatio *) iamiam curatur.

XXII.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1777 prodierunt.

Philoſophical Tranſactions, Vol. LXVII. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 444.)

Auserleſene Abhandlungen aus den philoſophiſchen Tranſaktionen, 4ter Theil. (v. ib. Vol. XXII. p. 567.)

Medical and philoſophical commentaries, by a Society in Edinburgh. Lond. 8. Tom. IV.

Mediciniſche Commentarien, 2. Band. (v. ann. praecedent.)

Arzney-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 724.

Arzneykundige Abhandlungen, herausgegeben von dem Collegio der Aerzte in London. Aus dem Engliſchen von D. C. CHR. KRAUSE. 3 *Band. Leipzig.* 8.

Abhandlungen der königl. Preuſiſchen Akademie der Chirurgie. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von D. GEORGE HEINRICH KÖNIGSDÖRFER. 4 *Band. Altenb.* 8. *m. K.*

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, (v. ſu-ſupra).

Eiusdem verſio Germanica. Lipſ. (ibid.)

Noui commentarii ſocietatis Gottingenſis, Tom. VII. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 592.)

Acta Helvetica, Tom. VIII. (*v. ibid. Vol. XXII. p.* 537.)

Acta Societatis medicae Haunienſis, Vol. I. Haun. 8.

Acta Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum, quae Erfurti eſt, ad ann. 1776. Erfurt. 4. c. f.

Verhandelingen te Rotterdam. (*v. ann. praeced.*)

Verhandelingen te Harlem. (*v. ibid.*)

Verhandelingen te Vliſſingen. (*v. ibid.*)

Neues Hamburgiſches Magazin, 19. *Band. Leipz.* 8.

Berniſches Magazin der Natur, 1. *Bandes* 2. *Stück.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 347.)

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. (v. ſupra. p. 195.)

Berliner Beyträge zur Landwirthſchafts-Wiſſenſchaft. 3*ter Band. Berlin.* 8.

Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft cet. 9. *Band.* (v. ſupra. p. 195.)

Der philoſophiſche Arzt, 4*tes und leztes Stück. Berlin und Leipzig.* 8. (Auctor eſt D. MELCH. ADAM WEIKARD, Med. Doct.)

Wittenbergiſches Wochenblatt zum Aufnehmen der Naturkunde und des ökonomiſchen Gewerbes. Wittenberg. 4. (Edit. TITIO).

Fränkiſche ökonomiſche landwirthſchaftliche Mannigfaltigkeiten. 1ſter Band. Nürnberg. 4.

Wochenblatt für den gemeinen Mann, des 2. Jahrganges 1. und 2tes Quartal. Leipzig. 8. (morales et phyſicae commentationes huic libro inſunt.)

Des Naturforſchers 10. Stück. etc. (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 640.)

Onomatologia hiſtoriae naturalis completa etc. *7ter und lezter Band.* (v. ſupra.)

Beyträge zur Geſchichte der Hornviehſeuche in einigen Kreiſen der Altmark, und deren Erkenntniß und Heilung, 1. Sammlung. Stendal. 8.

Geſchichte des Elephanten bey Gelegenheit des zu Berlin angekommenen Thieres beſchrieben. Nebſt der Abbildung deſſelben. Berlin. 8. (Nihil niſi excerptum ex BVFFONII hiſtoria naturali continet.)

Unterricht von der vortheilhaften Schaafkultur. Ulm. 8.

Sätze aus der Naturgeſchichte der Thiere und der ſämmtlichen Viehzucht, als eine Fortſetzung der Sätze aus der Naturgeſchichte der Pflanzen, dem Acker- und Wieſenbau, dem Baue der Farbekräuter, und Wald- Wein- und Gartenbaue. Wien. 8.

The beauties of natural hiſtory, or elements of zoology. 12.

Neuer Schauplatz der Natur nach den richtigſten Beobachtungen und Verſuchen in alphabetiſcher Ordnung durch eine Geſellſchaft von Gelehrten. 4ter und 5ter Band. Leipzig. 8. (Finito nunc propediem libro perutili infra dabimus de eodem vberiorem relationem.)

Schauplatz der Natur und Künſte, in 4 Sprachen, Deutſch, Lateiniſch, Franzöſiſch und Italieniſch. 4ter Jahrgang, mit 48 Kupf. und 48 Beſchreibungen. Wien. 8.

Phyſika-

Phyſikaliſche ökonomiſche Bibliothek. 8. *Band.* (Auctore Cl. BECKMANN v. ſupra.)

Bibliotheca phyſico-medica. Vol. I. II. Vratislaviae. 8. (*Auctor eſt* FRANC. XAVER. DE WASSERBERG.)

Allgemeine Geſchichte der neueſten Entdeckungen, welche von verſchiedenen gelehrten Reiſenden in vielen Gegenden des Ruſſiſchen Reichs und Perſien in der Hiſtorie, Landwirthſchaft und Naturgeſchichte etc. ſind gemacht worden, 1. *Theil. Bern.* 8. *m. K.*

Journal d'un voyage, qui contient differentes obſervations mineralogiques particulierement ſur les Agates et le Baſalte, avec un detail ſur la maniere de travailler les Agates, á Mannheim et à Paris. 8. c. f.

Syſtematiſches Lehrbuch über die drey Reiche der Natur, zum Gebrauch für Lehrer und Hofmeiſter bey dem Unterricht der Jugend, 1ſter Band, welcher das Thierreich enthält. Nürnberg. 8. *m. K.* (Vix fini reſpondet; eſt enim totus liber fere ex LINNEI verſione Germanica transſcriptus, multisque mendis refertus.)

Deſcription d'une machine univerſellement utile et avantageuſe, propre à detruire entierement, d'une maniere infallible, aiſée et à peu de frais, les fourmis ainſi que d'autres Inſectes nuiſibles, inventée par Mr. le BARON DE HÜPSCH. à Cologne, Francfort et Leipzig. (*Oder Beſchreibung einer allgemeinen nüzlichen und mit dem beſten Erfolg geprüften Maſchine, die Ameiſen und andere ſchädliche Inſekten, auf eine geſchwinde und ohnfehlbare Art, mit wenigem Aufwande und geringer Mühe in einer ganzen Gegend zu vertilgen, erfunden von dem Freyh.* VON HÜPSCH. *mit* 1. *Kupf.*

Die Säugthiere in Abbildungen nach der Natur, 3ter Theil, 23. 24. 25. und 26. Heft. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 42.)

Eſſai d'une lithographie de Mlocin. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 35.*)

Entdecktes allgemein brauchbares Verbeſſerungsmittel der Steinkohlen und des Torfs. Nebſt der Benuzungsart aller daraus zu ziehenden Produkte. Als eine Ergänzung der Steinkohlen- und Torfgeſchichte. Von dem Verfaſſer des Lehrbegriffs ſämmtlicher ökonomiſchen und Kameralwiſſenſchaften. München. 8.

Umſtändlichere Beſchreibung der holländiſchen Klymühle, und des Endzwecks der bleyernen Büchſen, bey Verfertigung des waſſerdichten Mauerwerks, nachdem die allgemeine deutſche Bibliothek die davon im Jahre 1774 bekannt gemachten 2 Sendſchreiben über das Verfahren der Holländer, wenn ſie waſſerdichtes Mauerwerk machen, mitgetheilte Erklärungen, an einigen Stellen für dunkel erklärt hat. Dreßden und Leipzig. 4.

Beyträge zur Naturhiſtorie, ſonderlich des Mineralreichs. 2 Theil. Altenburg. 8. m. K.

Verzeichniß der Foſſilien in dem zur allgemeinen Oekonomie gewidmeten Gebäude der K. K. Thereſianiſchen Akademie. Wien. 8.

Abhandlung über die bey Podmokler im Jahre 1771 gefundenen Goldklumpen. Prag. 8.

Anthologia Meriana LXV plantarum, florumque maxime egregiè ſculptorum tabulas continens. Editio noua cum indice plantarum. Francof. fol.

Kunſt Nelken zu ziehen und ihre Schönheit zu beurtheilen. Nürnberg. 8.

Der wohlunterrichtete Gärtner, 2te verbeſſerte Auflage. Bayreuth. 8.

Fränkiſche ökonomiſche landwirthſchaftliche Mannichfaltigkeiten, 1ſter Band. Schwabach. 4. mi K.

Abhandlungen der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft zu St. Petersburg, zur Aufnahme des Ackerbaues und der Hauswirthſchaft in Rußland, vom Jahre 1768. 10. und 11. Theil. Aus dem Ruſſiſchen überſezt. Petersburg, Riga und Leipz. 8. m. K.

Naturgeſchichte aus den beſten Schriftſtellern mit Merianiſchen und neuen Kupfern, 5ter Abſchnitt der Vögel. Heilbrun. fol. (Ex BVFFONO fere ſolo translatus liber; icones ruditer et negligenter ſculptae.)

Oekonomiſche Nachrichten der patriotiſchen Geſellſchaft in Schleſien. Breslau. 4.

Lehrbegriff der ökonomiſchen und Kameralwiſſenſchaften, 2. Band. Manheim. 4.

Sammlungen einiger Abhandlungen aus der Oekonomie, Kameralwiſſenſchaft, Arzneykunde und Scheidekunſt. Leipzig. 8.

Oeconomia forenſis *oder kurzer Inbegrif derjenigen landwirthſchaftlichen Wahrheiten, welche allen ſowohl hohen, als niedrigen Gerichtsperſonen zu wiſſen nöthig, 3. Band. Berlin. 4.*

Schriften der Leipziger ökonomiſchen Societät, 3. Theil. Dreſden. 8.

Forſtkatechismus oder kurzer Unterricht für junge Leute, die ſich dem Forſtweſen als Unterbediente zu widmen gedenken, in Fragen und Antworten eingerichtet. Osnabrück. 8.

Neueres Forſtmagazin, 1. Abtheilung. Sammlung zerſtreuter Forſtſchriften. Frankf. an Mayn. 8. m. K. (Editore FRANZMADHES.)

Elemens de chemie theorique et pratique redigés dans un nouvel ordre, d' apres les decouvertes modernes, pour ſervir aux cours publics de l'Academie de Dijon. à Dijon. 8. Tom. I. (Auct. DE MORVEAU, MARET & DURANDE.)

Diſpenſatorium Pharmaceuticum Brunſuicenſe ... CAROLI Ducis Brunſuico-Luneburgenſium ... ornatum, et pharmacopaeis ducatus Brunſuico-Wolfenbuttelani a collegio ſupremo ſanitatis ... vium dicato in normam praeſcriptum atque ordinatum. Additis indicibus neceſſariis. Brunſuici. 4.

Obſervations on the Practice in the medicine department of the Weſtmünſter General Diſpenſary. London. 4. (Auctor eſt Cl. MILLAR.)

Verſuch einer Theorie der wichtigſten Beobachtungen aus der Naturlehre, die man zum Theil durch fixe Luft oder fette Säure zu erklären bemühet war. Halle. 8. (Auctor eſt C. F. DANIEL.)

Inſtruction ſur l'etabliſſement des nitrieres & ſur la fabrication de ſalpetre publiée par Ordre du Roi, par les Regiſſeurs generaux des poudres et ſalpetres. à Paris. 8. c. f.

Chemia in nuce, *oder kurze doch aufrichtige Anweiſung zu der Wiſſenſchaft der Zerlegung der Körper. Danzig.* 8.

Abhandlung von den Würkungen des Kamphers und Kalomels in anhaltenden Fiebern. Altenburg. 8.

Kunſtbuch die ſchönſten und rareſten Farben zu verfertigen. Frankf. 8.

Kern der ganzen Medicin, worinnen auf die allerkürzeſte Art die Arzneymittel, ſo bey den meiſten mediciniſchen und chirurgiſchen Krankheiten weſentlich nothwendig ſind, in geringen Recepten ſo deutlich angegeben und erkläret werden, daß ein jeder, in benöthigten Fall, ſein eigner Arzt ſeyn könne. Aus dem Engliſchen überſezt. Neue und mit Anmerkungen verſehene Auflage. Breßlau. 8.

Neueſte Heilkunde oder Heilungsmittel, die entweder ganz neu erfunden, oder zur Kur mancher höchſt verzweifelter und fürchterlicher Krankheiten von neuen

neuen eingeführet worden ſind. Aus den Franzöſiſchen der Herren BVCHOZ und MARQVE. Nürnberg. 8. m. K.

Kurzgefaßter Hebammen-Katechismus, oder Unterricht in der Entbindungskunſt für angehende Hebammen, nebſt einem Anhange von Krankheiten junger Kinder. Entworfen von W. C. ALBERTI. Berlin. 8.

Chirurgiſcher Katechismus für angehende Wundärzte, nebſt einem Reiſe und Feld-Kaſten für die Feldchirurgos, und einem Wörterbuche aller einfachen Gewächſe, Arzneyen, deren Namen, Natur und Zuſammenhang. Leipzig. 8.

Hebammenkunſt durch Fragen und Antworten vorgetragen, mit Anmerkungen erläutert und einem Unterricht von Nothtaufen. Lucern. 8.

Recit de ce qui ſ'eſt paſſé à la Faculté de Medecine de Paris, au ſujet de la ſection de la Symphyſe des Os pubis, pratiquée ſur la femme Souchot. à Paris. 4.

Sammlung chirurgiſcher Bemerkungen, aus verſchiedenen Sprachen überſezt. Altenburg. 8. m. K. 4ter Theil.

Ueber das Intereſſanteſte der Schweiz. Aus dem Franzöſiſchen frey überſezt, berichtiget und vermehrt, 1. Band. Leipzig. 8.

Wahre und untrügliche Geſchichte des berüchtigten Okuliſten HOFFMANN, mit dem Leibmediko Dr. und Prof. VOGEL in Göttingen. Göttingen und Leipzig. 8.

Briefe über verſchiedene Gegenſtände der Arzneykunſt, 3ter und lezter Theil. Langenſalza. 8.

Briefe eines Arztes. Hamburg. 8. (Auctore NOOTNAGELL.)

Kurzgefaßte Anleitung für den gemeinen Mann, wie die Blattern von ihrem Anfange bis zu ihrem Ende zu behandlen ſind. 8.

Von

Von Anſtecken der Krankheiten in einem Briefe eines Vaters an ſeinen die Gottesgelahrheit ſtudierenden Sohn. Blankenburg. 8.

Bekanntmachung eines ſpecifiken Mittels wieder die tollen Hundebiß. Berlin. 4.

Merkwürdige Geſchichte zweyer kleiner Blatterkranken, in einem Brief an einen Freund. Frankf. und Leipzig. 8.

Nachricht an das Publicum, die Geſundsbrunnen Ladowa, Reinerz, Altwaſſer, Charlottenburg, Salzbrunn und Fluinsberg in Schleſien betreffend. Schleſien. 8.

Ueber die Hypochondrie. Dreßden. 8. (Auctore C. OEHME, Med. Doctor. Dresdenſ.)

An Appendix to the ſecond edition of Mr. WHITE treatiſe on the Management of pregnant and laying women. v. WHITE.

Solemnia inauguralia ſummosque in arte medica honores Exper. Candid. I. P. ROGERT conferendos indicit Rector et Senatus Academiae Harnienſis. Praemittuntur nonnulla de ſcientia medica HOMERI. Hafniae. 8.

Ordonnance du Roi concernant les hoſpitaux militaires; Reglement pour les amphitheatres établis dans les hoſpitaux militaires de Strasbourg, Metz, et Lille. à Metz. 8.

Conſultation de la faculté de medecine. à Paris. 4. (Haec ad GVILBERTVM DE PREVAL pertinent; et ſpecifici cuiusdam antiuenerei cauſa ſunt ſcripta.)

Précis pour la faculté de Paris contre Sr. GVILBERT DE PREVAL. à Paris. 4.

Declaration portant réglement pour les profeſſions de la Pharmacie et de l'épicerie à Paris. à Paris.

Reponſe de la faculté à la Raquête de Mr. GVILBERT. à Paris. 4.

De

De igne, ſanguini prae chylo, lacteque eſſentiali, rubedinis, caloris, fermentationumque eiusdem cauſa, diſputatio. Petropoli et Rigae. 4.

Nuovo metodo adattato al clima di Piemonte, per coltivare gli Ananas ſenza fuoco. Turin. 8.

Sammlungen auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte. 3ter Band. (v ſupra.)

Der Franzöſiſche und Jtalieniſche Aquavit und Olitätenmacher, 2te vermehrte Auflage. Sorau. 8.

Medicinische Fragmente, weiſen Menſchenbeobachtern zur Prüfung vorgelegt, von einem jungen Arzte, 1. Stück. Danzig. 8. (Auctore NVDOVIO, Med. Doct. Gedanenſ.)

Schilderungen der Aerzte, wie ſie ſind und wie ſie ſeyn ſollen, 1ſter oder Jroniſcher Theil, enthält den Begrif wie die Aerzte gemeiniglich ſind; 2ter oder ernſthafter Theil enthält den Begrif, wie ſie ſeyn ſollen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Strasburg. 8.

Einiger gelehrter Freunde Deutſche Briefe an den Herrn VON HALLER. *Erſtes Hundert von 1725 bis 1751. Bern.* 8.

Der Mann und die Frau im Eheſtande phyſikaliſch betrachtet. Neue Auflage. Leipzig. 8.

A letter to the Maſter, Wardens, and Court of Aſſiſtants of the Corporation of ſurgeons, on their permitting Aliens, Apothecaries and Quacks, to encroach upon the province of ſurgeons, Members of the corporation. 8. (*Contra iatroaliptas ſcriptum eſt.*)

Free Thoughts on Quacks and their Medicines. 8.

IO. CHR. GOTTL. ACKERMANN de dyſenteriae antiquitatibus liber bipartitus. Lipſ. et Schleizae. 8.

EIVSD. *über die Krankheiten der Gelehrten, und die ſicherſte und leichteſte Art ſie abzuhalten und zu heilen. Nürnb.* 8.

ACRELL

O. ACRELL *chirurgiſche Vorfälle etc.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 284.)

J. M. AEPLI *Prüfung der Spaniſchen Fliegen in bösartigen Fieber. Zürch.* 8.

Miſcellaneous obſervations on planting and training timber trees; particularly calculated for the climate of Scotland. In a ſeries of letters. By AGRICOLA. London. 8. (*Prius haec obſervationes in Edinburgico diario editae nunc collectae ſunt lectu vtiles.*)

ALBERTI *Hebammenkatechismus*, (v. ſupra ſub monymis.)

M. I. ALIX obſervata chirurgica, Faſciculus III. Franc. ad Moen. 8.

Nouvelles experiences ſur la reſiſtance des fluides par Mr. D' ALEMBERT, le Marquis DE CONDORCET et l'Abbé BOSSVT. à Paris. 8. c. f.

Eſſays relating to agriculture and rural affairs. The ſecond edition with large additions. By IAMES ANDERSON. Edinb. et Lond. 8. Vol. 2. (*Potiſſimum hic disquiſitiones miſcellaneae ad agriculturam pertinentes auctae ſunt, atque* 18. *tabulae gramina oeconomica exhibentes, additae.*

An eſſay on the theory and cure of the venereal gonorrhoea, and the diſeaſes which happen in conſequence of that diſorder. By IOHN ANDRE'E, ſurgeon to the Magdalen Hoſpital. 8.

An account of the diſeaſes moſt incident to Childern from their birth till the age of puberty; with a ſuccesful method of treating them. To which is added an eſſay on nurſing. By GEORGE ARMSTRONG. Lond. 8.

G. ARNAVD *anatomiſche chirurgiſche Abhandlungen über die Hermaphroditen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Strasburg.* 4. *m. K.*

GEORG. CHRIST. ARNOLDI obſeruat. phyſico-medicarum annus 1772. Uratislav. 8.

SAMVEL AVGVSTIN prolegomena in ſyſtema ſexuale botanicorum tabulis aeneis ad intelligendos terminos illuſtrata. Vienn. 8.

Recherches ſur les maladies chroniques, particuliérement ſur les hydropiſies & ſur les moyens, de les guerir. Par Mr. BACHER. à Paris. 8.

E. B. L. BACKMEISTERS *Ruſſiſche Bibliothek, 4ter Band. 3-6. Stück. Riga.* 8.

EIVSD. *Verſuch über die Bibliothek und das Naturalien- und Kunſtcabinet der Kaiſerl. Academie der Wiſſenſchaften. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Petersb. Riga und Leipzig.* 8.

E. G. BALDINGER diſſ. inaug. de regulis generalioribus in morborum curationibus vbique obſervandis. Reſp. *A. C. Meuſching.* Gotting. 4.

EIVSD. ſylloge ſelectiorum opuſculorum argumenti medico-practici. Vol. II. ibid. 8.

IO. BALL's *neuere Heilkunſt oder vollſtändige Anweiſung, die Krankheiten vernunftmäßig zu behandlen. Aus dem Engliſchen überſezt von* L. H. SPOHR. *2 Theile. Leipzig.* 8.

I. G. BAVMERI fundamenta politiae medicae in vſum auditorum poſita. Francof. 8.

* BAVERS *neue chirurgiſche Wahrnehmungen. Rothenburg an der Fulda.* 8.

THOMAS BAYFORD *von den Wirkungen des Einſprizzen in die Harnröhre, nebſt dem Gebrauch und Mißbrauche dieſes Mittels. Altenb.* 8.

BECKMANN *phyſikaliſche ökonomiſche Bibliothek. 7. Band.* (v. ſupra inter anonymos.)

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. *Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturfor-ſchender Freunde, 2ter 3ter und 4ter Band.* p. 193
II. A voyage round the world in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution. By FORSTER. 221
III. FORSTERI characteres plantarum 234
IV. PALLAS ſpicilegia zoologica. Faſcic. X. — XIV. 249
V. VON GLEICHEN *genannt* RVSWORM *von Saamen- und Infuſionsthierchen.* 265
VI. VOET catalogue raiſonné ou ſyſtematique du genre des inſectes cet. 274
VII. BAVMER hiſtoria naturalis regni mineralogici 276
VIII. GMELINS *Einleitung in die Mineralogie* 281
IX. SCHROETER *Geſchichte der Fluſsconchylien* 283
X. *Beobachtungen über das Gebirge bey Königshayn in der Oberlauſitz.* 289
XI. LESKE *vom Drehen der Schaafe* 293
XII. *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte. 1ſter Band, 1 — 6. Stück.* 295
XIII. KÖSTLINI faſciculus animaduerſionum phyſiologici atque mineralogico-chemici argumenti 309
XIV. LEVELING de valuula EVSTACHII et foramine ouali 313
XV. SCHMVCKER *vermiſchte chirurgiſche Schriften, 1ſter Band.* 315
XVI. DVHAVME traité de la petite verole cet. 326
XVII. PORTAL ſur la nature et ſur le traitement de la rage 337
XVIII. A radical and expeditions cure for a recent catarrhous cet. 344
XIX. Lettere ſopra CELSO al TIRABOSCHI 347
XX. SCHAEFFER *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole* 351
XXI. Noua phyſico medica. 360
XXII. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1777 prodierunt. 370